negligentem, ne præjudicium ſuperiori irrogetur, cui ratione devolutionis quæſitum fuit jus eligendi. Tum quia certum juris principium eſt, quod ubi dies, & pœna a lege, vel ab homine apponuntur, non admittitur moræ emendatio, ſed pœna elapſo die ſtatim committitur, *l. ad diem 77. ff. de verb. oblig. l. trajectitia, 23. ff. de oblig. & act. l. magnum 13. Codic. de contrah. ſtipul. l. 2. Codic. de jure emphyt.* docent Ferret. & Pichar. *ubi ſupr.* Unde cum in noſtro caſu elapſo tempore, pœna privationis ſtatim ſequatur, non poteſt per moræ emendationem evitari. Nec obſtat textus *in dict. cap. litteras*; nam ibi ex diſpenſatione Rom. Pontificis ſuſtinetur collatio elapſo ſemeſtri facta, quæ juxta juris rigorem nulla erat. Nec tandem tertia difficultas refragatur: nam quando devolutio fit ex cauſa delicti, quia indignus electus eſt, vel quia non eſt ſervata forma capitis *quia propter de elect.* diſtinguendum eſt, an omnes ad quos ſpectabat electio, peccaverint, an pars tantum. Si omnes, in Eccleſiis Cathedralibus abrogata conſtitutione textus *in cap. cum in cunctis*, electio non ad proximum ſuperiorem, ſed ad Romanum Pontificem devolvitur, *ex dict. cap. quamquam, de elect. in 6.* in inferioribus vero Eccleſiis viget adhuc conſtitutio text. *it dict. cap. cum in cunctis*. Secundo vero caſu penes eos, qui non peccaverunt, jus eligendi reſidet, *c. gratum de poſtul. Prælat.*

Sed adhuc ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in c. conſtitutum 22, q. 1.* in illis verbis: *Quod ſi neglexerit, anno expleto interventor alius tribuatur*. In quibus verbis Patres Concil. Carthagin. ſupponunt, tempus electionibus præſcriptum eſſe annum, non vero ſemeſtre; & per negligentiam in eligendo non devolvi jus eligendi ad ſuperiorem. Pro hujus textus vera interpretatione ſciendum eſt, in eo agi de interventoribus, ſive interceſſoribus, qui olim aſſignabantur Eccleſiis viduatis, ne detrimentum paterentur, & ut futuri Prælati electionem curarent, a quibus jus commendarum originem ſumpſiſſe, jam docuerunt Renatus Chopinus *lib. 1. monaſt. tit. 2. n. 6.* Lantdmet. *de veter. cleric. & monach. l. 2. c. 55. in fin.* de eis egi *in cap. ne pro defectu*, in ratione dubitandi *de elect.* Jubent ergo Patres, & ſtatuunt in eo textu, quod ſi forſan Eccleſiam vacare contigerit diutius, non ultra annum interceſſor protrahatur, ſed eo remoto, alius apponatur: non tamen negant Patres, per hoc tempus devolvi jus eligendi ad ſuperiorem, ſed tantum ſupponunt, Eccleſiam diutius vacaſſe. Alia dabimus *in c. 2. de conceſſ. præb.* 18

T I T U L U S XI.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *Bathon. Epiſcopo*.

SUbdiaconos *b* autem nulli niſi Romano Pontifici liceat in diebus Dominicis ordinare, quamvis Deo dicatas virgines conſecrandi, & minores ordines his diebus habeant licentiam celebrandi. Sabbato quidem Pentecoſtes non licet alicui ſacros ordines celebrare, cum in ſequenti ſeptimana, recepta Spiritus ſancti gratia, celebrentur.

N O T Æ.

1 a BAthonienſi. Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* & poſt Later. *p. 26. cap. 25.* ubi reperitur hic text. Bathon. diœceſis eſt in Anglia; cum enim Londini conventus Epiſcoporum celebraretur, decretum ibi eſt, ut Cathedra Epiſcopalis ex oppido parvo in Civitatem Bathoniæ transferretur, & ſic ab eo tempore civitas Bathoniæ Eccleſia Cathedr. decoratur: refert Polydorus Vergilius *l. 9. hiſt. Angliæ*. Ejus Eccleſiæ Præſuli etiam reſcribit noſter Alex. *in c. de illis, & ſeq. de deſponſ. impub.*

2 b *Subdiac.*) Temporibus Alex. III. jam gradus Subdiaconatus ſacer erat, & inter majores numerabatur, *c. 1. de Cleric. conjug.* dicemus *c. a multis, de ætat. & qual.*

C A P U T II.

a Idem *Herforden. Epiſcopo*.

SAne ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti in Eccleſiiis quibuſdam *b* Scotiæ, & *c* Gualgæ, in *d* Dedicationibus Eccleſiarum, vel Altarium, extra jejunia quatuor Temporum Clericos ad ſacros Ordines promovere: pru. t. ſignificamus, quod conſuetudo illa, utpote inſtitutioni Eccleſiaſticæ inimica, & deteſtabilis eſt, & penitus improbanda: & niſi multitudo, & antiqua conſuetudo terræ eſſet, taliter ordinati non deberent permitti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Nam apud nos ſic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.

N O T Æ.

1 a HErfordenſi.) Herfordia civitas eſt Britanniæ, cujus Præſul ſubeſt, ut ſuffraganeus, Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut refertur Polydorus Vergilius *lib. 1. hiſt. pag. 8.* Carolus a S. Paulo *in geograph. ſacra pag. 166.* Cujus Eccleſiæ Epiſcopo reſcribit Alexand. *in præſenti, & in c. ſeq. & in c. intelleximus, de officio deleg. c. 1. de dolo, c. ſignificavit 48. de appell. c. 2. de Clericis conjug. c. ex litteris 7. de jurepatr.*

2 b *Scotiæ.*) Scotia antiqua Caledonia dicta, magnæ Britanniæ pars Borealis eſt: Romanis ſubjectam non fuiſſe ex eo cognoſcitur, quod nulla ejus mentio fit in notitia civili. Evangelii luce illuſtratam fuiſſe ſub Cæleſtino Papa teſtantur Proſper Aquitanicus *ann. 434. in chron.* ibi: *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur a Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur*. Beda *lib. 1. hyſtor. Angliæ, c. 13.* ibi: *Anno Dominicæ Incarnationis vigeſimo quadringenteſimotertio, Theodoſii Junioris anno Imperii 8. Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes a Pontifice Romanæ Eccleſiæ Cæleſtino primus Epiſcopus mittitur*. Plura de ejus provinciæ origine, & progreſſu tradunt Boetius Leſleus, & Gregorius Buchananus *in ſuis hiſtoriis Schothicis*, Rogerius *in Annal. Anglicis*, Guillelmus Candenus *in deſcriptione Scotiæ*. Eccleſia Scotiæ, licet aliquando ab Eccleſia Romana diviſa fuerit propter celebritatem Paſchæ, & uſum tonſuræ, ut refert Baronius *ann. 699.* tamen ad unitatem Eccleſiæ jamdiu revocata fuit,

3 c *Gualgæ.*) Legendum eſt *Ubaliæ*. Ubalia enim eſt tertia pars inſulæ, juxta umbilicum Angliæ, habet quatuor ſedes Epiſcopales, ut refert Vergil. *libr. 1. hiſtor. Angliæ, pag. 8.* Inter Ubaliam & Angliam terminum facit Herefordienſis civitas; unde recte in præſenti caſu commiſſum fuit Epiſcopo Herefordienſi examen conſuetudinis, quæ invaluerat in Scotia, & Ubalia.

4 d *Dedicationibus.*) Dedicationes Eccleſiarum, quæ communiter Encenia dicuntur, Paulus Diaconus *in Juſtin.* Niceph. Calixtus *l. 17. hiſt. c. 27.* accepta voce ab Hebræis, apud quos ſimiles feſtivitates Encenia dicebantur, de quibus Dartis *in c. 1. de conſecr. diſt. 1.* & altarium, non ſolum proprio die celebrantur, verum, & quotannis Dedicationis ſolemnitas debet celebrari, *c. ſolemniter 16. de conſecr. diſt. 2.* Concil. Mogunt. ſub Carolo Magno, c. 36. Colonienſe 3. *p. 9. c. 11.* & in Martyrologio Gallicano, Romano, & Hiſpano paſſim recenſentur Dedicationes Eccleſiarum.

C A P U T III.

a Idem *eidem*.

DE eo autem, quod quæſivit, an liceat extra jejunia quatuor Temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere: taliter reſpondemus, quod licitum Epiſcopis eſt Dominicis, & alils feſtivis diebus unum, aut *b* duos ad minores ordines promovere: ſed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor Temporibus, aut Sabbato ſancto, vel Sabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam R. Pontifici, liceat aliquos ordinare.

N O T Æ.

N O T Æ.

1 a IDem. Ita etiam habetur in Concil. Lateran. *p. 26. c. 25. & in 2. collect. ſub hoc tit.*

2 b *Aut duos.*) Gloſſa in præſenti, quam ſequuntur, Sylveſter, & Innocentius in præſenti, exiſtimat non ſolum duos, verum plures poſſe ordinari, dummodo non fiant ordinationes generales.

C O M M E N T A R I U M.

3 Concluſio probatur. EX his tribus deciſionibus ſequentem deducunt communiter Interpretes aſſertionem: „ Sacri Ordines tantum quatuor „ jejuniorum Temporibus, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & Sabbato ſancto conferri poſſunt; minores vero „ gradus, & virginum conſecrationes diebus Dominicis, & „ feſtivis: ſecus ordinatus ſuſpenditur; & qui ordinavit, punitur, non obſtante contraria conſuetudine. *Probant textus* in „ c. 1. d. 55. c. ordinationes, & per totam 75. diſt. *Concil.* „ *Cabilon. 2. ſub Carolo*, c. 23. *ibi*: Presbyterorum, Diaconorum, & ceterorum graduum inferiorum ordinationes ſtatutis „ temporibus fieri debere. *Urbanus II. in Concil. Claromont.* act. „ 2. ante finem, *ibi*: Ne fiant ordinationes, niſi quatuor certis „ temporibus, & Sabbato mediante Quadrageſima, & tunc „ protrahatur jejunium uſque ad Veſperas, & ſi fieri poteſt, „ uſque ad craſtinum. *Gregor. II.* ad Clerum & populum Turingiæ, *ibi*: Ordinationes vero Presbyterorum, ſive Diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis jejuniis; „ ſed & in ingreſſu quadrageſimali, atque medio Veſpere Sabbati noverit celebrandas. *Synodus Romana ſub Zacharia*, can. „ 11. *ibi*: In multis Conciliis hoc ſtatutum eſt, ut primi, „ quarti, ſeptimi, & decimi menſis Sacerdotum fieri debeant „ ordinationes; aliqui enim ex noſtris ignorantes annorum ſeriem, illicitam fecerunt ordinationem. *Zacharias Pontifex* ep. „ 5. ad Bonifacium, *ante finem*: De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, cogente neceſſitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus, & diebus a te „ promoveri, &c. Bene noſti, quod ſacri canones dicunt, quod „ aptis temporibus Sacerdotes ordinentur. " Conc. Carthag. 3. *can. 44.* Rothomag. ſub Joanne, *ann. 1072.* Leo Pontifex *ep. 55. & ep. 79. c. 1. & ep. 87.* Trident. *ſeſſ. 23. c. 4.* Conſonant lex 13. & 65. *tit. 5. p. 1.* alia juris teſtimonia congeſſerunt Anton. Auguſt. *in epit. juris, l. 28. tit. 6.* Creſpetius *in ſumm. v. Ordines*. Illuſtrant plures congeſti a Barboſa *in præſenti, & l. 1. juris eccleſ. c. 33. n. 177. & de Epoteſt. Epiſc alleg. 17.* & ad Concil. Trid. *d. c. 4.* Vaſquez *4. par. in 3. diſp. 246. c. 5.* Severinus Binius *in notis ad ep. Calixti*, Bellar. *t. 3. tr. de jejuniis, c. penult.* Suar. *de cenſuris diſp. 31. ſect. 1. n. 30.* Acunna, & I. Dartis *in d. 75. diſt.* Petr. Greg. *l. 4. partit. tit. 4. c. 2. & de beneficiis c. 37. n. 34.* Tambur. *de jure Abbat. 2. t. diſp. 2. quæſit. 17.* Dian. *2. par. tra. 15. reſol. 28.* Vighel. *in meth. juris can. pag. 253.* Gibalin. *de cenſuris pag. 481.* Garcia *in ſumma pag. 88.* Leander *t. 2. de ſacram. diſp. 11. per totam.*

4 Impugnatur aſſertio variis rationibus. Hæc aſſertio ita illuſtrata ingentes patitur dubitandi rationes. Prima naſcitur ex facto Domini noſtri, quod vitæ noſtræ debet eſſe inſtructio, & exemplar, *c. ſignificaſti 3. de elect.* ſed legimus tantum Dominum noſtrum Apoſtolos ſacris ordinibus initiaſſe quinta feria, nocte videlicet cœnæ majoris hebdomadæ: igitur tantum ea die Presbyteri, & alii Eccleſiæ miniſtri ordinari valent. Fulcitur hæc conſideratio; nam quia Dominus eo die confecit chriſma, in alio non poſſunt Epiſcopi illud conſecrare, *c. presbyteri 94. c. omni 123. de conſecr. diſt. 4.* Synodus Meldenſis *can. 35.* Caſil. Legionen. *de confirm. c. 3.* Vicecome *de ritibus confirm. c. 19.* Menard. *in notis ad Sacram. D. Gregorii, fol. 65.* Igitur ſimiliter, quia Dominus ea nocte ſacramentum Ordinis, non alio tempore, vel die inſtituit, nequit in aliis diebus adminiſtrari. Secunda ex eo oritur; nam gradus Epiſcopalis, & quatuor minores, non minus ſpectant ad ſacramentum Ordinis, quam tres gradus majores, ſive ſacri: ſed gradus Epiſcopalis, & quatuor minores quolibet die Dominico conferri poſſunt, *ex noſtro c. 1. c. quanto, 75. d.* docent Salcedo *in praxi, c. 26.* Bernal. *de Sacram. diſp. 46. ſect. 3. n. 18.* Yſambertus *in 3. part. D. Thomæ, de Sacram. Ordin. diſp. 1. ar. 3. n. 6.* Hallier. *ubi ſupr. c. 2. ar. 1.* igitur etiam gradus majores omnibus diebus Dominicis conferri valent. Tertia difficultas inſurgit adverſus eam partem deductam *ex c. 2. hoc tit.* in qua improbatur conſuetudo conferendi ſacros ordines in diebus feſtivis; nam conſuetudo Eccleſiæ Orientalis ſervatur, & admittitur, qua introductum eſt, ut omnibus diebus indiſtincte liceat majores ordines conferre, ut teſtantur Gloſſa *in c. cum ſecundum, hoc tit.* Hallier. *ubi ſupr. art. 5.* & conſuetudine introduci poſſe, ut quatuor minores Ordines uno die contra juris diſpoſitionem conferantur, docetur *in c. 2. de eo, qui furtive*: igitur conſuetudo Scotiæ, per quam introductum erat, ut in diebus feſtivis majores ordines conferri poſſent, obſervari debebat. Quarto adverſus eam partem noſtræ concluſionis, deductam *ex c. 1. hoc tit.* ubi docetur omnibus diebus Dominicis Virgines conſecri poſſe, obſtant textus *in cap. devotis 20. qu. 1.* ibi: *Devotis Deo virginibus, niſi aut Epiphaniarum die, aut in aliis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis ſacrum velamen minime imponatur*. Et *c. virgines, eadem quæſt.* & non ſunt conſecrandæ niſi in Ephiphania, ac in Sabbato Paſchæ, & in Apoſtolorum natalitiis. Ex quibu expreſſe probatur, non licere omnibus diebus Dominicis virgines conſecrare.

5 De jejunio quatuor temporum. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt ſupradicta aſſertio: pro cujus expoſitione primo ſciendum eſt, inter alia jejunia ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus in Eccleſia ſtatuta, recenſeri jejunium quatuor temporum, quod ab Apoſtolica inſtitutione provenire credimus, cum nullo œcumenico Concilio ſtatutum reperiatur: de eo agitur *in cap. 1.* ubi loco eorum verborum, *quod ter*, legendum eſſe *quater*, jam notavit Baronius *ad ann. 226. num. 25. & in c. de jejunio, c. ſtatuimus, cum ſeq. 76. diſt. c. ordinationes, 75. diſt.* Concilium Aurelian. *canon. 27.* alias 29. Gerundenſe *canon. 2.* Cæſaraug. *can. 2.* Troslejanum *canon. 15.* Lemovicenſe *act. 2.* Damaſus *in vita Calixti*, Leo *ſerm. 1. de jejunio*, Iſidorus *lib. 1. de divin. offic. c. 37. 38. & 39.* & alii Patres, tam Latini, quam Græci, relati ab Antonio Auguſtino *in epit. juris, lib. 21. tit. 19.* Bellarm. *tom. 3. controv. titul. de jejun.* Tinio *in notis ad epiſtol. Calixti Papæ*. Quod jejunium a Judæis jam obumbratum, & obſervatum fuit, ſiquidem illi jejunabant quatuor temporibus, quæ incidebant in menſibus quarto, quinto, ſeptimo, & decimo: ideſt, juxta interpretationem D. Hieron. quæ habetur *in cap. jejunium, 76. diſt.* in menſes Julium, Auguſtum, Octobrem, & Januarium, quia cum apud eos annus inciperet a menſe Aprilis, quartus menſis erat Julius. In his ergo menſibus jejunabant Hebræi: quarto, quia Moyſes quarto menſe tabulas legis fregit, *Exodi cap. 32.* quinto, quia eo menſe propter ſeditionem populi exploratores terræ Promiſſionis juſſi ſunt montem non aſcendere, *Num. cap. 34.* deinde quia eo menſe a Tito templum ſubverſum eſt: ſeptimo quia eo menſe occiſus eſt Goliath, & reliquit Jeruſalem diſſipari, *Jeremiæ, c. 52.* Decimo tandem, quia tunc Ezechiel in captivitate poſitus, audivit: *Et cunctus populus captivorum, quinto menſe templum eſt ſubverſum*, ut habet *Ezechielis cap. 33.* Igitur ne Judæis remiſſiores viderentur Chriſtiani, Eccleſia inſtituit jejunium quatuor temporum, per annum diviſum, videlicet verno, æſtivo, autumno, & hiemali. Vernum eſt in Quadrageſima, incipit a quarta feria poſt quartam feriam Cinerum: hiemale poſt quartam feriam in tertia hebdomada poſt diem B. Luciæ: æſtivum poſt Pentecoſten: autumnale in menſe ſeptembris. Concil. Clarom. ſub Urbano II. *can. 1. v. ſtatuimus, 75. d.* & ſic cum ſingulæ partes totius anni conſtent tribus menſibus illius, ita ſingula temporum jejunia tres complectuntur dies, quaſi ſingulis menſibus ſinguli dies jejunii adſcribantur, ut ſic quatuor temporum primitias Deo reddamus: exemplo petito a jejunio Ninivitarum, qui tribus diebus pœnitentiæ ac jejunio ſe dederunt. Alias hujus jejunii rationes tradiderunt ex Patrum teſtimoniis deductus Hallier. *ubi ſupra, art. 2. §. 2.* ex Medicis petitas: Viringus *libr. 5. de jejunio; cap. 12.* Hæc autem jejuniorum tempora non eodem modo diſtribuebantur in omnibus Eccleſiis, referente Div. Iſidoro *lib. 1. de divinis officiis, cap. 37.* Primum jejunium in die ſequenti poſt Pentecoſten, ſecundum octavo Kal. Octobris, tertium Kal. ipſis Novembris, quartum Kal. Januar. fiebant: in aliis etiam Eccleſiis diverſimode obſervabantur, *c. conſtitutum, 75. diſt.* Et licet hoc jejunium a principio fuiſſet voluntatis, poſtea tamen fuit neceſſitatis, quo modo accipiendi ſunt textus *in cap. jejunium, 75. diſt.* Concil. Aurelian. *can. 27. & 29.* Turonenſe 2. *can. 13.* Div. Hieronym. *in epiſt. ad Marcellam*, junctis Hallier. *ubi ſupr.* Bellarm. *tom. 3. controv. tract. de bonis operib. lib. 2. cap. 19.* Jo: Dartis *in d. 75. diſt.*

6 De temporibus ordinationum. Secundo ſciendum eſt, primis Eccleſiæ temporibus hæc ordinationum tempora obſervata non fuiſſe; nec enim Apoſtoli, Epiſcopive ab eis per civitates conſtituti hæc tempora obſervarunt; imo nec ſummus Pontifex alio menſe, quam Decembri ordines celebrabat. Poſtea Simplicius I. & Felix III. menſe Februario; Leo III. menſe Martio, & ſic alii relati ab Hallierio *ubi ſupra, §. 3.* Joann. Dartis *in d. 75. diſt.* ordinationes fecerunt. Tandem ſtatuta fuerunt tempora quatuor jejuniorum, Sabbatum ante Dominicam Paſſionis, & Sabbatum ſanctum Paſchæ, ut teſtantur Amalarius *l. 2. de offic. c. 1.* Rabanus Maurus *l. 1. de inſtit. cleric. c. 23.* Micrologus *in obſerv. c. 24. & 25.* Honorius *in gemma animæ, l. 1. c. 155.* in his enim tantum temporibus majores gradus conferri poſſunt, minoris autem omnibus diebus feſtivis, *c. quod a Patribus, c. fin. 75. diſt.* Quibus tamen diebus, & qua hora Ordines conferri debeant, dicemus *in c. litteras, hoc tit.*

7 De pœnis ordinari extra tempora. Tertio præmittendum eſt, ordinatum extra prædicta tempora ſuſpendi ab executione ordinis ita recepti, *c. ſane, hoc tit.* ubi depoſitionis vocem ita interpretatur Gloſſa, cujus ſuſpenſionis diſpenſatio reſervatur Sedi Apoſtolicæ *in c. cum quidam, hoc tit.* ſed poſtea Gregorius IX. *in c. conſultationi, hoc tit.* conceſſit Epiſcopis, ut poſſint diſpenſare cum hujuſmodi ordinatis in exercitio ordinis recepti; non vero, ut ad altiorem gradum aſcendant. Majolus *de irregul. lib. 3. c. 24. n. 9.* Diana *5. p. tr. 4. reſ. 193.* Et licet jure communi inſpecto non conſtaret apud Interpretes, an hæc ſuſpenſio ipſo jure incurreretur, tamen poſt conſtitutionem Pii II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, certum eſt ita ordinatos ſuſpenſionem incurrere ipſo jure, & poſtea celebrantes irregulares fieri; ait enim Pontifex: „ Quod omnes & ſinguli, qui abſque diſpenſatione ca- „ nonica, aut legitima ſcientia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante legitimam ætatem, vel abſque litteris dimiſ- „ ſoriis ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoveri, a „ ſuorum ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi hu- „ juſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem ordinibus miniſtrare „ præſumant, eo ipſo irregularitatem incurrant. " Quæ verba late exponunt Salcedo *in praxi, c. 42.* Hallier. *ubi ſupra, §. 4.* Navar. *conſil. 4. in hoc tit. n. 4.* Hanc tamen ſuſpenſionem non incurrunt religioſi extra tempora ordinati, ob privilegia illis conceſſa a Sede Apoſtolica, ut docent Diana *p. 4. tr. 2. reſ. 31.*

BIBLIOTECA CENTRAL

& 5. p. tr. 3. reſol. 57. Leand. tr. 6. de ordin. diſp. 41. q. 28. Sed hodie poſt Concil. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 8. & ſeſſ. 25. de regul. c. 12. ſublata eſſe prædicta privilegia, docent Suar. de legib. cap. 17 n. 8. Valquez d. 3. part. diſp. 246. c. 5, n. 50. & c. 6. nu. 58. Hurtado de ordin. diffic. 23. Etiam qui reſcriptum impetravit a Rom. Pontifice, vel ab ejus Nuntio, quod vulgo dicitur *Extra tempora*, poteſt tribus diebus feſtivis ordines majores ſuſcipere. Qui tamen dicantur dies feſtivi, in his, & minoribus ordinibus ſuſcipiendis, exponunt de ſacramento Ordinis ſcribentes.

8 Traditur ratio decidendi. His præmiſſis variæ a Doctoribus aſſignantur rationes, quare jejuniorum temporibus, & hebdomada ante Dominicam Paſſionis, ac Sabbato ſancto majores ordines conferantur. Honorius Auguſt. *in gemma animæ*, l. 4. c. 155. ita ait: „ Miniſtri Eccleſiæ ideo in quatuor temporibus ordinantur, quatenus ſub quatuor Evangeliis Chriſto, & Eccleſiæ ſervire admoneantur. In Quadrageſima idcirco ordinantur, ut vitiis marceant; in vere ideo, ut virtutibus floreant: in ſeptimana Spiritus ſancti, & in æſtate ideo, ut ſint ſpiritu ferventes Domino ſervientes; in autumno, & in feſto Tabernaculorum ideo, ut mundo moriantur, & cum Chriſto in virtutibus renaſcantur. “ Alias noſtræ concluſionis rationes ex Amalario, & Dionyſio refert Hallier. *ubi ſupra*, §. 5. quibus ea adjungi poteſt; nam cum inter cetera requiſita ordinationis illud præcipuum ſit, ut conferantur jejunis, & a jejunis, & ut præcedant jejunia univerſalia, ut ſic Deus placatus optet meliores & ſelectiores in Eccleſia miniſtros; inde eſt, quod cum hæc jejunia communia non niſi per Quadrageſimam, & quatuor tempora per annum obſerventur; ideo in his tantum temporibus gradus majores conferri poſſunt. Et quia minores gradus, virginumque conſecrationes non æqualis dignitatis ſunt, ſiquidem inter gradus ſacros non recenſetur; ideo in eorum collatione non obſervantur prædicta tempora, ſed in quolibet die feſtivo conferri poſſunt. Et quia in eo debet quis puniri, in quo peccavit, c. nullius, hoc tit. in 6. ideo qui extra tempora a jure præſcripta ordines recepit, ab eorum exercitio ſuſpenditur, donec cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum.

9 Diſſolvuntur difficultates. Nec obſtant difficultates ſupra adductæ; nam licet verum ſit, Dominum noſtrum, Apoſtolos, & eorum ſucceſſores diverſis temporibus ordines celebraſſe; tamen Eccleſia potuit prædicta præfinire tempora: ſiquidem creſcente fidelium numero, & Eccleſiæ pace reddita, juxta poteſtatem legislativam, quam Dominus in Eccleſia reliquiſſe jam probavi in apparatu, potuit ſacris ordinationibus prædicta præfinire tempora. Nec quod dicebamus de conſecratione Epiſcopali, adverſatur; nam contrarium verius eſt, videlicet conſecrationem Epiſcoporum non omnibus diebus feſtivis, ſed tantum Dominicis, præcedente jejunio poſſe fieri, cap. 2. 62. d. cap. 1. d. 75. Leo Pontifex ep. 87. alias 89. c. 5. ibi: „ Ordinatio Epiſcopi non paſſim, ſed die legitimo celebretur; nec ſibi conſtare ſtatus ſui noverit firmitatem, qui non die Sabbati veſpere, quod luceſcit in prima Sabbati, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus. “ Plura Hallier. *ubi ſupra*, c. 2. ar. 1. Diana p. 12. de conſecr. Epiſc. reſ. 62. Nec conſecratio Epiſcoporum comprehenditur ſub diſpoſitione textus in noſtro c. 1. quia in ea plerumque procedi ſolet ex ſpeciali Pontificis reſcripto, ut docet Diana *ubi ſupr.* Nec obſtat tertia difficultas deducta ex uſu, & conſuetudine Græcorum, apud quos nullum tempus ſpeciale præſcriptum eſt, ſed quovis tempore ordinatio fieri poteſt, excepto quadrageſimali, in quo tantum diebus Sabbati, aut Dominicis gradus Presbyteratus, & Diaconatus conferri poſſunt. Ratio eſt, nam cum jejuniorum tempore Miſſæ ſacrificium apud Græcos non celebretur, Concilium Laodic. can. 48. & hoc ſacrificium requiratur in ordinatione, ideo tempore Quadrageſimæ tales gradus conferri non poſſunt. Alii vero, qui præſanctificato ſacrificio adminiſtrantur, etiam tempore Quadrageſimæ conferri valent; in hoc autem ritu & aliis ab Eccleſia toleratis, de quibus agemus in c. cum ſecundum, hoc tit. diſſentiunt Græci a Latinis: quare in hac parte non recte arguitur de una Eccleſia ad aliam. Nec etiam obſtat textus in d. c. 2. de eo qui furtive. Nam licet conſuetudine legitime præſcripta introduci poſſit, ut quatuor minores gradus uno die ſimul alicui conferantur, non tamen moribus introduci valet, ut extra tempora ſtatuta majores gradus conferantur; nam primo caſu non ita læditur diſciplina eccleſiaſtica, ac ſecundo: unde non ita conſuetudo in uno, ac in alio inhibita reperitur.

10 Diſſolvitur quarta difficultas. Nec tandem adverſatur ultima difficultas, deducta ex c. devotis, 20. q. 1. pro cujus ſolutione ſciendum eſt, juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam, Virgines Deo devotas, ab Epiſcopis conſecrari, c. perlectis, 25. d. c. placuit, 74. d. c. 1. 29. q. 3. Concilio Carthag. 2. can. 3. „ Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, ut chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant. Carth. 3. c. 86, Vormat. can. 6. ibi: Presbyteris quamvis cum Epiſcopis plurima myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint. Conſecratio ergo, virginum benedictio, vel unctio Altaris a Presbyteris minime fiat. *Sexta Synodus Trullana* can. 40. D. Hieron. ep. 8. ad Demetriad. ibi: Scio, quod ad precationem Pontificis (id eſt Epiſcopi) ſtammeum virginale ſanctum operuit caput. Et ad Oceanum l. 2. ep. 3. ibi: Heri catechumenus, hodie Pontifex; veſpere in circo, nunc in altario; dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator. Expreſſit, licet paganus, Ammian. Marcell. l. 28. in fine: Intentas tamen alias virgines chriſtiano ritu cultui divino ſacratas, cuſtodiri intactas, & religioni ſervire, ſolito more, nullo vetante præcepit. „ Probant Anton. Auguſt. l. 4. epit. jur. Pontif. titul. 67. Acunna in c. quamvis 4. d. 68. Tamb. de jure Abbat. t. 1. diſp. 22. quæſit. 6. Barb. de poteſt. Epiſc. alleg. 57. n. 51. Cæſar de eccleſ. hierarch. p. 1. diſp. 6. §. 3. n. 18. Lantdm. de veteri cleric. l. 1. p. 2. c. 11. Suarez t. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 21. Joann. Dartis ad Decretum, in 26. q. 1. Etſi aliquando Presbyteri conſecrabant virgines, ex declaratione Epiſcopi id faciebant. Concil. Carthag. 3. can. 36. ibi: *Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret.* Quo modo accipiendus eſt textus in can. 4. Concilii Rhegienſ. Hæc autem Virginum conſecratio diebus ſolemnioribus fiebat, c. Virgines, d. c. de votis, 20. q. 1. D. Ambroſius ad virg. lapſ. c. 5. & in exhort. ad virgin. ibi: *Venit dies Paſchæ, in orbe toto Baptiſmi Sacramenta celebrantur, velantur ſacræ virgines.* Sequentibus vero ſæculis poſt Gelaſium omnibus diebus Dominicis virgines velare permiſſum fuit, ut ex præſenti textu conſtat, & poſtea generali conſuetudine aliis etiam feſtivitatibus talis benedictio dari cœpit, ut probant Salcedo in praxi, c. 26. Barboſa l. 1. juris eccleſ. c. 34. n. 17. & alleg. 27. n. 54. Feloaga in c. 1. de his, quæ vi, ratiocinio 5. Cellotius de hierarch. l. 6. c. 11. Dartis in d. 26. q. 1. & plura de hac virginum conſecratione, & de flammeis, ſeu velis illis impoſitis, congeſſerunt Germon. l. 3. de ſacris immun. c. 10. Cæſar d. diſp. 6. §. 3. Eſpenceus de voto continent. l. 4. c. 1. Ephetenus diſquiſit. monaſt. t. 1. l. 5. tr. 9. diſquiſ. 7. Ambianas ad Tertull. de velandis virgin. c. 4. obſerv. 1. Julius Lavorus de elect. c. 24. Barb. l. 1. juris eccleſ. c. 45. n. 24. Baron. in martyr. die 7. Maii, pag. 195. & ann. 57. Meudoza l. 2. Concil. Illiber. c. 20. Voſſius l. 3. de vitiis ſerm. c. 46. Menard. ad D. Gregor. Sacram. pag. 210. Feloaga in c. 1. de his, quæ vi, Hallier. de ſacris elect. 2. p. ſect. 4. §. 6. & nos nonulla dabimus in c. vidua, de regul.

11 Exponitur Concilium Cæſaraug. 3. can. 1. Sed primo ſuperiori aſſertioni obſtat textus in can. 1. Concil. Cæſaraug. 1. ubi ita Patres ſanxerunt: „ In ſanctum, & ſatis venerabile Concilium reſidentibus nunciatum eſt nobis, eo quod aliqui Pontifices regulam veritatis prætermittentes, Eccleſias, quæ a fidelibus pia devotione conſtruuntur, extra diebus Dominicis conſecrent. Si ergo cum quiſque noſtrum mortalium ad ſacerdotale promovetur officium, nullatenus patimur, ut in reliquis diebus, niſi tantum Dominicis feſtivitatibus, ii qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur eccleſiaſtico, quanto magis, ut deificata ſancta templa, quæ ab hominibus fidelibus cenſentur honorificanda, ſine diebus Dominicis prohibeantur conſecranda? Cujuſque nos talium præſumptiones Pontificum, non ſolum ſanctorum Patrum cohibere & prohibere ſententia, ſed propria deliberatione cenſemus: ut nulli penitus Pontificum, in quibuſcumq; provinciis conſtitutis, amodo liceat, præter certis diebus Dominicis, Eccleſias ſanctas conſecrare. „ Ex quo canone aperte deducitur, gradum ſacerdotii die Dominico extra tempora jejuniorum conferri poſſe, contra hucuſque tradita. Pro cujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, Patres in eo canone non agere de ordinatione Presbyteri, ſed de conſecratione Epiſcopi, quæ in diebus Dominicis olim fiebat: imo & plerumque poſt acclamationem, & electionem Epiſcopi ſequebatur ejus ordinatio proximo die Dominico, c. qui in aliquo, verſic. ſed nec ille, 51. d. c. 2. d. 62. c. 2. d. 75. cujus ritus varias rationes adducunt Amalar. l. 2. de eccleſ. offic. c. 2. Honor. Auguſtod. in gemma animæ, l. 1. c. 189. Ordo Romanus tit. quo die conſecretur Epiſcopus: inter quas ea præcipua eſt, quia eodem die Apoſtoli dona Spiritus ſancti acceperunt; quare conſentaneum Patres Eccleſiæ cenſuerunt, eodem etiam die Dominico Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores ordinari. Nec huic ſolutioni obſtant ea verba, *ad ſacerdotale promovetur officium*; ex quibus conſtat, in eo canone agi de ordinatione ſacerdotis. Nam plerumque in veteribus Eccleſiæ canonibus legimus, Epiſcopos ſacerdotes appellari, & eorum conſecratio, promotio ad ſacerdotalem dignitatem dicitur. Leo Pontifex epiſt. 87. „ Ordinatio Epiſcopi non paſſim, ſed die legitimo celebretur, nec ſibi conſtare ſtatus ſui noverit firmitatem, qui non die Sabbati veſpere, quæ luceſcit in prima Sabbati, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus; ſolum enim majores noſtri reſurrectionis Dominicæ diem honore dignam judicavere, ut ſacerdotes, qui ſumuntur hoc die, potiſſimum tribuantur. “ Et in d. c. qui in aliquo, dum agitur de Epiſcopo electo, & ordinato, dicitur, in ſacerdotem die Dominico fuiſſe conſecratum.

12 Explicatur Zacharias Pont. Secundo præſenti aſſertioni adverſatur Zacharias Pontifex ep. 12. alias 13. ad Bonifacium, quæ incipit, *Benedictus Deus*, ubi poſt medium ait: „ De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, cogente neceſſitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus, & diebus a te promoveri, te in offenſionem incurriſſe inſinuaſti. Dicimus autem tibi, frater, ut bene noſti, quod ſacri canones docent aptis temporibus Sacerdotes ordinandos; attamen in eo, quod a te propter zelum fidei actum eſt, a Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus. “ Ex quibus verbis depromitur, valide extra tempora gradus majores, Presbyteri videlicet, & Diaconi conferri. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt ex illis verbis, *cogente neceſſitate*, in quibus ſupponitur Bonifacium ob magnam neceſſitatem eos in Presbyteros & Diaconos ordinaſſe, quia alio modo Eccleſiis viduatis conſulere non poterat. Moris enim fuit primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, ut cum aliquis ex laicali ſtatu, vel alio gradu inferiore, in Epiſcopum eligebatur, ne ejus ordinatio protelaretur non ſervatis legitimis temporibus, in tribus continuis diebus ordinari, ut de D. Ambroſio refert Paulinus in ejus vita, qui in ſingulis diebus ſingulos gradus, & intra octo dies conſecrationem Epiſcopalem accepit: idem de Raynaldo, & aliis referunt Greg. Turon. l. 6. c. 9. hiſt. Gofrid l. 3. ep. 11. æquius enim Eccleſiæ proceribus videbatur conſecrationem Epiſcopi non protelari, quam legitima ordinationis tempora

expectare. Sequentibus vero ſæculis non ita facile in his temporibus diſpenſabatur, ut patet ex c. dilectionis, 76. diſt. ex Carnot. ep. 58. quia ut ait D. Bernardus tr. de præcept. c. 5. ibi: *Ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant ſanctorum Patrum inſtituta.*

13 Exponitur c. in Parochia 16. qu. 1. Eadem etiam interpretatione lucem accipit textus in c. in Parochia, 16. q. 1. ubi cum Theodorus Pelagii Conſiliarius, ab eo petiiſſet Rufinum monachum Presbyterum ordinari in Baſilica S. Laurentii, quam quondam in ſua poſſeſſione fundaverat Pontifex, jubet Bono Epiſcopo, ut in proximo Sabbato Rufinum Diaconum ordinet, & dimidia hebdomada ad gradum Presbyteri promoveat. Ex quibus verbis aperte conſtat, non ſervatis jejuniorum temporibus poſſe majores gradus etiam conferri. Cui difficultati facile ſatisfaciemus, ſi animadvertamus, juſta neceſſitatis cauſa motum Pontificem diſpenſaſſe, ut extra jejuniorum tempora poſſet Rufinus in Presbyterum ordinari. Cum enim Pontifex poſſit omni tempore majores gradus conferre, ex noſtro c. 1. ita & diſpenſare, ut alius Epiſcopus etiam extra tempora majores valeat gradus conferre.

Opponi etiam poteſt Concilium Claromont. ſub Urbano II. celebratum, cujus verba, & interpretationem dabimus in c. litteras, hoc tit.

C A P U T IV.

a Alexander III. b *Valt* c *Alban. Epiſcop. Vicario noſtro.*

Ex tuarum litterarum tenore accepimus, quod N. clericus adeo deliquit, quod ſi delictum ejus publicum eſſet, ab ordine, quem ſuſcepit, degradaretur, & amplius non poſſet ad ſuperiores ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipſius occultum & privatum fore dixiſti: ſ. t. per A. ſ. m. q. ei condignam pœnitentiam imponas, & ei ſuadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, ordine ſuſcepto utatur, & eo contentus exiſtens, ad ſuperiores ordines amplius non aſcendat. Verumtamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit, ei non potes, nec debes ratione aliqua prohibere.

N O T Æ.

1 a Alexander.) In ſexta collectione Raymundi tantum legitur *Alexander III.* in prima autem collectione ſub hoc tit. c. fin. legitur *Alexander III. Vu. Alban. Epiſcop.* in Conc. autem Lateranenſis adduntur ea verba, *Vicario noſtro*; ex quibus omnibus inſcriptionibus reſtituo hujus textus epigraphen, & ejus ſecunda pars extat in c. 3. de eo, qui cognovit conſanguineam.

2 b Valt.) Valtero, ſive Gattero, qui ab Hadriano IV. creatus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis an. 1154. floruit uſque ad an. 1177. fuit Alex. III. in urbe Vicarius, ut refert Joann. Saresbarienſis ep. 234. ad Batholomeum Oxon. Epiſcopum, ibi: *Epiſcopus Albanenſis Domini Papæ vices agit in Urbe.* De eo Ughel. t. 1. Italia ſacra, in Alban. Eccleſ. n. 34.

3 c Alban.) Albanenſis Epiſcopatus eſt unus ex ſeptem Cardinalitiis, quorum Præſules ſunt Cardinales Eccleſiæ Romanæ, videlicet Oſtienſis, Sylvæ Candidæ, Portuenſis, Sabinenſis, Præneſtinus, Tuſculanus, & Albanus: cum enim in urbe antiquitus fuiſſent conſtructæ, & ordinatæ Eccleſiæ majores, in quibus Pontifex per ſe ſacra faceret, ex vicinioribus oppidis, ſeu civitatibus Pontifex accerſivit ſeptem Epiſcopos, ut per ſeptem hebdomadæ dies divina officia in eis celebrarent, ut refert Anaſtaſius Bibl. in Stephano IV. *Hic conſtituit, ut omni die Dominico a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia S. Salvatoris obſervant, Miſſarum ſolemnia ſuper Altare B. Petri celebrarentur.* Notarunt Pambinus de ſeptem Eccleſ. urbis, c. 1. Cohelius in notitia Card. c. 5.

COMMENTARIUM.

4 Concluſio probatur. Ex hoc textu, & ex c. fin. hoc tit. qui ſpectat ad ſecundam partem hujus tituli de qualit. ordin. ſequens deducitur aſſertio: *Occultus criminoſus, præter homicidam, poſt pœnitentiam peractam in ſuſceptis ordinibus valet miniſtrare, & ad ſuperiores aſcendere; antea tamen monendus eſt, ne miniſtret, & ne promoveatur.* Probant textus in c. fin. de furtis, c. ex tuarum, de purgat. canon. c. ferrum, c. de his, 50. d. novell. 6. Juſtiniani, c. 1. Illuſtrant Alphonſus de Caſtro de leg. pœn. l. 2. c. ult. Covarr. l. 3. var. c. 3. n. 2. & in Clemen. ſi furioſus, par. 1. §. 1. & 2. par. §. 3. Avila de irregul. 7. part. diſp. 4. dub. 7. concl. 6. plures relati a Diana par. 4. tr. 2. reſol. 93. Gibalin. de irregul. c. 5. conſect. 1. Sauſay in Panopl. par. 1. c. 6. §. 3. Gallier. de ſacris elect. l. 2. c. 2. ar. 1. §. 2. & de hierarch. eccl. pag. 272. Suarez de cenſuris diſp. 48. ſect. 1. Acunna in c. presbyter, §. ſed illud, 50. diſt.

5 Ratio decidendi. Hæc aſſertio valde dubia redditur ſequenti conſideratione: nam certum eſt, irregularitatem non contrahi niſi in caſibus a jure expreſſis, c. pen. de ſent. excom. ſed in nullo juris loco expreſſa reperitur irregularitas contra criminoſos publicos, & notorios, etiamſi delictum ſit ejus naturæ; ut depoſitionem mereatur, exceptis homicidio, iteratione baptiſmi, ſuſceptione ordinum poſt contractum matrimonium, uſurpatione ordinum, & violatione cenſuræ in exercitio alicujus gradus ſacri: unde ob enorme crimen depoſitione dignum, etiam notorium, non incurri aliquam irregularitatem, defendit Gibal. de irreg. c. 5. conſect. 6. igitur licet in noſtro textu eſſet crimen notorium, & in judicio deductum, non deberet criminoſus arceri ab ordinibus recipiendis. Etiam ea pars aſſertionis, in qua docetur, criminoſum poſt pœnitentiam peractam poſſe in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, neque ad altiores gradus aſcendere, difficilis redditur eo juris principio, quo docetur eum, qui in Eccleſia pœnitentiæ caput ſemel ſubdiderit, non poſſe neque in ſuſceptis miniſtrare, neque ad altiores ordines promoveri, c. pœnitentes, 50. d. c. 1. junctis ibi traditis, de bigamis non ordin. igitur non recte aſſerimus criminoſos etiam poſt pœnitentiam peractam poſſe ſacris ordinibus initiari.

6 Infamis eſt irregularis. Adhuc tamen defendenda eſt ſupra tradita aſſertio, pro cujus vera expoſitione aliqua præmittenda ſunt: Et primo ſciendum eſt, ordinandum habere bonum populi teſtimonium, & ab omnibus irreprehenſibilem judicari, juxta illud Apoſt. 1. ad Tim. c. 3. *oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Plura tradit Hallier. de ſacris elect. c. 2. art. 1. §. 1. Unde apud omnes liquet, infamem infamia juris, aut facti canonica ſacris Ordinibus initiari non poſſe: quare infamia, quæ propter aliquod delictum ipſo jure, vel ex judicis ſententia naſcitur, impedit promovendam, c. in aliquo, c. fin. 41. d. c. infames 2. q. 6. Conc. Tolet. 4. can. 18. Evariſtus epiſt. 3. Ordo enim eccleſiaſticus honor eſt, c. un. de obligatis ad rat. ideo infamis ad illum non admittitur, ex leg. unica, Cod. de infamibus, ubi plura D. Franciſcus de Amaya; ſicut & a militia arcebantur, l. 4. §. 4. & 7. ff. de re milit. l. 2. §. 3. ff. de his, qui notant infam. Unde aliqua delicta, quæ propter eorum enormitatem non inducunt irregularitatem, eam producunt propter infamiam ex eis ortam, ut hæreſis, c. 1. inter ſolicitudines, de purgat. canon. ſchiſma, c. 1. de ſchiſmaticis: ſimonia, c. ſancitum 7. q. 1. uſura, c. maritum, 33. diſtin. publicus concubinatus, & accuſatio alicujus delicti pendens, c. omnipotens, de accuſat. & alia, quæ enumerant Gibalin. de irreg. c. 5. dub. 2. quæſt. 3. Barboſa l. 1. juris eccleſ. c. 33. n. 110. Majolus de irreg. l. 5. c. 46. & damnatum ad triremes & reverſum, ordinari non poſſe, probat Marinis l. 1. reſ. c. 10.

7 De delictis occultis. Secundo ſciendum eſt, eſſe aliqua delicta, quæ quantumvis occulta irregularitatem inducunt, ut iteratio Baptiſmi, violatio cenſuræ, uſus improbus Sacramentorum, & homicidium: qui enim ex culpa Baptiſmum iteravit illum conferendo, vel ſuſcipiendo, irregularis efficitur, c. quos, c. eos, de conſ. d. 4. c. illo 10. 1. quæſt. 7. plura Anton. Aug. l. 22. ti. 26. ſed licet Sacramenti Confirmationis, & Ordinis iteratio prohibita ſit, c. 1. 65. diſt. c. non licet, de conſecr. d. 4. c. dictum, de conſecr. diſt. 5. tamen propter eorum iterationem irregularitas in jure ſtatuta non eſt. Neque contrarium probat textus in c. ſaluberrimum 1. quæſt. 7. Nam ea verba, *Iterata unctione*, accipienda ſunt de iteratione Baptiſmi, non vero ordinationis, ut contra Hugolinum docet Gibal. de irreg. propoſ. 1. c. 5. Magnum autem diſcrimen vertitur inter irregularitatem, quam incurrit, qui miniſtravit iterum Baptiſmum, & qui illum recepit: nam irregularitas, quæ contrahitur a rebaptizato, eſt totalis; quæ vero incurritur a miniſtro, eſt partialis, tantum videlicet, quoad ſuperiores gradus, c. 2. de apoſtatis: licet olim etiam a ſuſceptis deponeretur Conc. Lugdun. relatum a Burchardo l. 4. Decreti, c. 56. Deinde irregularitas rebaptizati ex occulta etiam iteratione naſcitur; rebaptizantis vero tantum ex publica, c. Afros, 98. d. c. 2. de apoſtatis, Hurtado, Toletus & alii relati a Gibalin. *ubi ſupra*. Ex illicita etiam Ordinum ſuſceptione, aut adminiſtratione in ſuſceptis, etiam occulta, irregularitas naſcitur, ut ſi quis dolo malo non ordinatus Sacramenta adminiſtraverit, c. 1. & 2. de clerico ordin. plura Ant. Auguſt. in epit. l. 22. tit. 12. Suar. de cenſur. diſp. 42. ſect. 4. late dicemus in d. c. 1. Ex illicita Ordinum ſuſceptione irregularitas naſcitur, cum quis ordinatur per ſaltum, vel non confirmatus, ſi furtive, aut una die plures gradus accepit, c. unic. de clerico per ſaltum, c. 1. & 2. de eo, qui furtive, Hallierius *ubi ſupra*, 2. par. ar. 2. ſect. 1. Salcedo in praxi, c. 24. & 25. Barboſa de poteſt. Epiſcop. all. 47. Ex violatione etiam cenſuræ irregularitas incurritur, cum quis cenſuram violat per actum ſolemnem ſibi per cenſuram prohibitum, ut ſi Miſſam celebret majori excommunicatione ligatus, c. 1. c. ſi celebrat. de clerico excommun. c. is cui, de ſent. excomm. l. 6. non autem eam contrahit, ſi gradum ordinis recipiat; quia in jure expreſſa non eſt, ſed tantum ſuſpenſio, c. 1. de eo, qui furtive, c. cum illorum, de ſentent. excommun. tantum enim hæc irregularitas incurritur per ſolemnem actum majori excommunicatione ligatis prohibitum, d. c. ſi celebrat, ubi latius dicemus. Idem affirmandum eſt in interdicto, d. c. is cui, ſive in celebrante tempore interdicti, non ſervata forma capitis *Alma mater*, de ſent. excomm. l. 6. docet late Gibalin. diſt. cap. 5. conject. 9. Tandem ex homicidio etiam occulto irregularitatem contrahi, ſæpe ſæpius in jure noſtro deciditur in c. ſicut

BIBLIOTECA CENTRAL

5. c. ad audientiam, & paſſim, de homicidio. Trid. ſeſſ. 14. de refor. c. 1.

8 *De occulto crimiſo.* Deinde ſciendum eſt, ad irregularitatem incurrendam non ſufficere actum interiorem. Covar. in Clem. ſi furioſus, 1. par. n. 4. Avila de irregul. 7. part. diſput. 2. dub. 1. nec etiam occultum peccatum, exceptis ſupra numeratis. Unde ſatis controverſum eſt apud Interpretes, utrum per delictum exterius, occultum tamen, per accidens irregularitas contrahatur? Et Gloſſa in c. ult. hoc ti. affirmat, non incurri: eam ſequuntur Hoſtienſis, & Cardinalis ibi: ſed Alfonſus a Caſtro l. 1. de lege pœnali, c. 5. exiſtimant, quod ſi delictum ſit omnino occultum, irregularitas non contrahitur; ſi vero ab aliquo ſciatur, irregularitatem contrahi. Sed placet eorum ſententia, qui diſcrimen conſtituunt inter crimina, quæ ſolum ratione enormitatis, & notorietatis inducunt irregularitatem, & ea delicta, quibus impoſita eſt irregularitas abſque circumſtantia enormitatis. In delictis primi generis, qualia ſunt adulterium, ſimonia, furtum, & cetera depoſitione digna, non incurritur irregularitas, niſi notoria ſint: in delictis ſecundi generis, qualia ſunt homicidium, c. fin. hoc tit. iteratio Baptiſmi, improba ordinatio, & violatio cenſuræ, incurritur irregularitas, quamvis occulta ſint, etiam poſt peractam pœnitentiam, d. c. fin. hoc tit.

9 *Quomodo tollatur hæc irregularitas.* Cum ex uſu Eccleſiæ cognoſcatur nullam irregularitatem continere impedimentum perpetuum, ſciendum eſt, ſemel contractam certis modis ceſſare, videlicet baptiſmo, profeſſione religionis, diſpenſatione, ceſſatione, & pœnitentia. Baptiſmo tollitur omnis irregularitas (ita lato modo appellamus defectum in infidelitate contractum) quæ ex peccato provenit, c. ſi quis viduam, 50. d. Profeſſione religionis tollitur irregularitas ex defectu natalium proveniens, c. 1. de filius preſb. Barb. l. 1. juris eccl. c. 24. n. 187. diſpenſatione ejus, qui poteſtatem habet diſpenſandi, omnis tollitur irregularitas, quia nulla eſt, quæ a jure naturali, vel divino proveniat: plures congerit Barb. ad Conc. Trid. ſeſſ. 42. de reform. c. 6. Nec obſtat textus in c. 2. de bigam. non ordin. cujus veram interpretationem ibi dabimus. Ceſſatione cauſſæ inducentis irregularitatem, tollitur ipſa irregularitas, ut ſi illegitime natus legitimus fiat per ſubſequens matrimonium, aut reſcriptum Pontificis, c. 1. c. tanta, c. per venerabilem, qui filii ſint legitimi. Pœnitentia tolli irregularitatem ortam ex peccato occulto non enormi, ſed mediocri, quod non ex ſua natura, ſed ex alio capite dignum erat ſuſpenſione, aut irregularitate, docet Acunna in ſumm. 39. diſt. n. 7.

10 *Ratio decidendi.* Ex quibus apparet vera decidendi ratio noſtri textus; cum enim ordinandus ſine crimine, ſi poſſit dari, debeat eſſe, & ideo tot ſcrutinia in ordinandis, tot approbationes populi, tot examina requirantur, de quibus ſatis diffuſe Hallier. ubi ſupra, d. ſect. 7. ideo occultus peccator moneri debet, ne promoveatur; ſed ſi velit promoveri, peracta pœnitentia arceri non debet, quia cum irregularitas non contrahatur, niſi in caſibus a jure expreſſis, c. pen. de ſent. excom. & in jure expreſſa non ſit contra occultos criminoſos, ideo promoveri poſſunt ad majores ordines, excepto caſu homicidii, & aliorum criminum, de quibus ſupra, quibus ſua natura annexa eſt irregularitas; ideo ſive publice, ſive occulte perpetrentur, irregularitatem inducunt, & eorum auctores etiam peracta pœnitentia ad altiores gradus non admittuntur; quia ſicut certæ ſunt cauſæ, quibus irregularitas contrahitur, ita & præfiniti ſunt modi, quibus ea tollitur, inter quos non enumeratur pœnitentia, ut probat Acunna ubi ſupra; ideo in peccatis gravioribus pœnitentia non tollit irregularitatem.

11 *Diſſolvitur difficultas.* Nec obſtat prima dubitandi ratio ſupra adducta; nam licet cum publicum delictum eſt, ſeu notorium, quia in judicium deductum eſt, ipſum delictum per ſe non inducat irregularitatem, tamen propter infamiam, quæ ex publicitate, ſeu notorietate naſcitur, qui illud commiſit, ordinari non poteſt, ut ſupra dixi. Quare ſi in hoc textu delictum fuiſſet ordine judiciario probatum, non poſſet, qui illud commiſit ordinari: ſed quia occultum erat, & pœnitentia expiatum, licite ad ſacros ordines admittitur. Nec ſecunda difficultas adverſatur; nam licet ille, qui pœnitentiam ſolemnem in Eccleſia fecit, non poſſit in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, aut ad altiores gradus aſcendere, ex tradendis in c. 1. de bigamis non ordin. tamen hoc non procedit in eo, qui pœnitentiam privatam ſuſcepit; quia ille nulla infamia notatur. Unde cum in noſtro textu agatur de pœnitentia privata, recte docetur, poſt pœnitentiam peractam poſſe occultum criminoſum ad majores gradus aſcendere.

12 *Exponitur c. ad aures, hoc tit.* Sed primo ſuperiori aſſertioni obſtat textus in c. ad aures, hoc tit. in illis verbis: *Quod Prælati eorum commiſſa ſecreta noverint.* Ex quibus verbis deducitur, expreſſe ob occultum delictum poſſe eum, qui illud perpetravit, a ſacris Ordinibus arceri. Pro cujus textus expoſitione, & conciliatione cum noſtro capite ex tenore, Gloſſa in præſenti, & in c. non dicatis 12. queſt. 1. exſtimat, diſcrimen eſſe conſtituendum inter regulares, qui ſacris Ordinibus initiari intendunt, & alios clericos ſæculares, qui ad altiores gradus promoveri cupiunt: regulares enim etiam ob delictum occultum a Prælatis ſuis arceri poſſunt, ne ſacris Ordinibus initientur, quia ſubditorum peccata, & conſcientias rectius agnoſcunt, quam Prælati ſæculares: unde textus in d. c. ad aures, procedit in ſubditis regularibus; textus vero in præſenti capite in clericis ſæcularibus. Gloſſam ſequitur Hallier. de ſacris elect. pag. 37. ubi ſupra.

13 *Explicatur c. tanta, de Simonia.* Secundo adverſatur textus in c. tanta 7. de ſimonia, in illis verbis: *Item omnis peccator Miſſam cantare poteſt, præter ſimoniacum.* Ex quibus deducitur, quemlibet peccatorem, ſive occultum, ſive publicum, a ſacro Presbyteratus gradu non arceri, excepto ſimoniaco: igitur non recte aſſerimus, peccatorem publicum, cujus delictum in judicio deductum eſt, ſacris Ordinibus initiari non poſſe: & ſi textus accipiatur, non de ordinando in ſacerdotem, ſed de clerico Miſſæ ſacrificium celebrante, adhuc difficilis eſt, cum certum ſit, ſacerdotem, quem culpæ mortalis reatus tenet, non poſſe Miſſæ ſacrificium celebrare, c. præter, 32. d. c. in gradibus 3. q. 7. c. timorem 25. de conſ. d. 2. c. ſicut 75. 1. q. 1. c. fin. de clerico excomm. Varia pro ejus textus interpretatione adduxerunt repetentes ibi; quibus omiſſis duplici modo difficultati reſponderi poteſt, ſupponendo Pontificem in eo textu non agere de clerico in ſacerdotem promovendo, ſed de ſacerdote in ſuo gradu miniſtrante. Primo aſſerendo, in eo textu tantum affirmari peccatorem, ſi nil aliud ſit, quod illi obeſt, pœnitentiam agendo poſſe Miſſam cantare, ideſt Miſſæ ſacrificium offerre; ſimoniacum autem, etiam pœnitentia peracta, non poſſe Miſſam celebrare, quia propter ſimoniæ labem ſuſpenſus eſt, c. ſi quis, c. de hoc, c. per tuas, de ſimonia: ita illum textum interpretatur Suar. de cenſuris diſp. 31. ſect. 4. n. 3. ſecundo textus ille interpretari poteſt juxta tempora Pontificis Deuſdedit, illius textus auctoris, aſſerendo illa verba, *Miſſam cantare*, non eſſe accipienda de Presbytero celebrante, ut accipiuntur in c. interdicimus 16. q. 1. c. 3. c. dudum 27. 18. q. 2. ſed de canente in choro. Unde cum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam Sacerdos etiam peracta pœnitentia ſolemni admitteretur in choro canentium, inter pſalmiſtas, c. pen. 50. d. & ibi reciperet communionem laicam, c. ſi quis 8. 50. d. Concilium Sardicenſe ſub Julio I. c. 1. ſimoniacus tamen, quia ut intruſus in Eccleſia, non poterat communionem laicam ſuſcipere, Baronius t. 3. an. 347. & ſic nec inter canentes ſtare poterat, ideo ait Pontifex Deuſdedit, omnem peccatorem Miſſam cantare poſſe, præter ſimoniacum. Ita textum illum interpretatur nunquam debitis extollendus laudibus Illuſtriſſimus Præceptor DD. Mart. Ontiberos in tr. de ſacram. in genere, ar. 6. n. 4.

14 *Exponitur c. 2. de apoſtatis.* Tertio adverſatur ſupra traditis textus in c. 2. de apoſtatis in illis verbis: *Si vero occultum eſt, promoveri poterit.* In qua deciſione agitur de quodam Clerico iterante baptiſmum, ad ordines admittendo, vel non. Et Alexander III. diſtinguit; vel delictum fuit occultum, vel publicum. Si publicum fuit, non poſſe ad ſacros ordines aſcendere, niſi religionem ingrediatur, quia tunc favore religionis poſſet cum eo diſpenſari; plerumque enim monachi pœnitentes poſt gravia facinora admittebantur ad ſacros ordines, qui ſi in ſæculo manerent, ſacris ordinibus non initiarentur, ut contra Cellotium probat Franciſcus Hallier. de hierarch. Eccl. pag. 272. ſi vero occultum delictum fuit, poſſe ad ſacros ordines aſcendere. Ex quo textu expreſſe conſtat, occulte reiterantes baptiſmum, poſſe ad ſacros ordines aſcendere; contra ea, quæ ſupra diximus. Cui difficultati reſpondendum eſt aſſerendo, in eo textu acolytum, cui permittitur aſcendere ad ſacros ordines, non iteraſſe baptiſmum illum adminiſtrando, vel ſuſcipiendo, ſed tantum adfuiſſe iterationi: unde cum ipſe nec iteraſſet, per ſe illud adminiſtrando, nec ſuſcipiendo, ſed in perſona fratris fuiſſet iteratus; ideo Alex. III. illi indulſit, ut poſſet, ſi occultum delictum fuit, ad majores ordines aſcendere.

15 *Exponitur Trid. ſeſſ. 24. c. 1.* Quarto ſupradictæ aſſertioni obſtat textus in c. 1. Concilii Trid. ſeſſ. 14. de refor. in illis verbis: *Etiam ob occultum crimen.* Quibus permittitur Epiſcopis arcere ab Ordinibus criminoſos etiam occultos. Quod etiam docetur in principio ipſius ſeſſionis. Igitur non recte aſſerimus in præſenti, propter occultum crimen non poſſe criminoſum arceri a ſacris ordinibus. Pro hujus textus expoſitione, & conciliatione cum præſenti capite varia adducit Franciſcus Hallierius de ſacris elect. pag. 37. ſed ſuperflue, cum declaratum ſit per ſacram Concilii Congregationem, correctam eſſe deciſionem textus in præſenti capite ex tenore, per canonem illum, & ampliatam deciſionem textus in c. ad aures, hoc ti. ita ut quod ſupra dicebamus de regularibus non admittendis ad ordines, ob delictum etiam occultum, procedat in clericis ſæcularibus, ut poſt Farinacium cum pluribus teſtatur Barb. in remiſſ. ad Conc. Tr. d. ſeſſ. 24. c. 1. quare cum expreſſa correctio in his juribus reperiatur, fruſtra agitur de eorum conciliatione.

16 *Exponitur can. 1. Concilii Nicæni.* Tandem præſenti aſſertioni obſtat textus in can. 2. Concilii Nicæni, relatus in c. quoniam, 48. d. in illis verbis: *Si vero procedente tempore aliquod peccatum, quod animæ noceat, inventum fuerit in ea perſona, & convincantur duobus, vel tribus teſtibus, ceſſabit a Clero.* Ex quibus verbis deducitur, quodlibet peccatum animale ſufficiens eſſe, ut quis excludatur a ſacris Ordinibus. Pro cujus canonis expoſitione Balſamon in ejus notis exiſtimat, peccatum animale in eo canone, ſeu quod animæ noceat, accipi pro quacumque culpa incompatibili cum divina gratia. Verum hæc interpretatio facile refellitur ex præſenti textu, & adductis per Cabaſſutium in notitia Conciliorum, pag. 62. in eo canone. Alii textum illum accipiunt de apoſtata, homicida, fornicatore: quorum peccata olim ſolebant capitalia, & mortalia appellari: quo in ſenſu Iſidorus l. 2. de divinis officiis, aſſerit conſuetudinem Eccleſiæ hanc eſſe, ut ſordidati peccato mortali ad ordines non promoveantur; & ſi quis poſt ordinationem mortalis peccati reus factus ſit, non poſſit ſacrum exercere miniſterium: & Conc. Valent. Galliæ ſub Damaſo c. 4. prohibet ab Epiſcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu eos, qui ſe mortali crimine fatentur pollutos. Similiter Concilium Agathenſe can. 32. decrevit, clericum, qui capitale crimen commiſit, deponi, & in monaſterium conjici. Præterea, Patres Conc. Tol.

4. can.

4. can. 52. ſanxerunt, eos qui publicam agentes pœnitentiam mortale delictum publice confeſſi ſunt, non poſſe in Clericos ordinari. Verum omnes canones hi facile juxta ſupra tradita procedunt in eo, qui delictum publicum capitale admiſit, aut ex quo infamiam contraxit. Verum textus in d. can. 2. Conc. Nicæni, ni fallor, procedit in eo, qui poſtquam ordinatus fuit, publice in luxuriæ peccatum lapſus fuit; ille enim dejiciebatur a Clero, juxta veteres canones 30. Conc. Illiber. 9. & 10. Conc. Neocæſar. Et licet in principio ipſius canonis ageretur de neophytis non ordinandis: tamen in ejus calce de clerico agitur lapſo in peccatum animale dejiciendo a Clero; non vero cooptando, ſeu ordinando in Clerum.

CAPUT V.

Lucius III. *Archiep.* a *Turonenſi.*

AD aures noſtras pervenit, quod religioſi quidam ad ſuperiores deſiderant ordines b promoveri, ſed Prælati eorum deſideriis contradicunt. Tuæ igitur quæſtioni taliter reſpondemus, quod honeſtius, & tutius eſt ſubjectis debitam Præpoſitis obedientiam impendendo in inferiori miniſterio deſervire, quam cum Præpoſitorum ſcandalo graduum appetere dignitatem. Nec eſt in hac parte ſubjectorum deſiderium confovendum; quoniam eſſe poteſt, quod Prælati eorum commiſſa c ſecreta noverint, ex quibus conſtat eis, quod ſalva conſcientia nequeant ſublimari: quia non in ſublimitate graduum, ſed in amplitudine charitatis requiritur regnum.

NOTÆ.

1 *Turonenſis urbs ubi.* a Turon.) Ita etiam legitur in prima collectione, ſub hoc tit. c. 4. & poſt Conc. Lat. p. 26. c. 22. Turonenſis, ſeu Turonica civitas, eſt Galliæ, in tertia Lugdunenſi provincia, trans Ligerim ſita, de qua plura Fr. Sar. t. 1. Galliæ Chriſt. f. 732. Habet Eccleſiam Metropolitanam D. Gratiano dicatam, jam olim in Archiepiſcopalem erectam, ut teſtantur Hadrianus II. ep. 27. ad Carolum Magnum, Venant. Fort. pluribus ad Gregorium Turon. carminibus, l. 4. & conſtat ex ſubſcriptione Licinii, ubi ſe Epiſcopum ſcribit Eccleſiæ Turonicæ Metropolis ex Concilio Venetico celebrato an. 455. Ejus Eccleſiæ hiſtoriam, & Præſulum ſeriem ſcripſerunt Andreas Quercetanus, & Chenu. Ejus mentio extat in jure noſtro in c. fin. de filiis Presbyt. c. conſuluit, de ſervis non ordin. c. de eo, 9. cum ſequenti, de ordinar. c. ex tenore 11. de foro compet. c. dilecti 8. de except. c. ex conqueſtione, de reſtit. ſpol. c. 8. de prob. c. 8. de ſim. cum aliis. Hujus ergo Eccleſiæ Præſuli Barth. Vindocinenſi miſſa eſt hæc Decretalis.

b *Promoveri.*) Conſonant Caſſian. l. 11. coll. c. 14. *Nonnunquam clericatus gradum, & deſiderium Presbyterii, vel Diaconatus immittit.* Ubi obſervat Gazeus.

c *Secreta noverint.*) Hæc verba difficilia viſa ſunt Interpretibus; nam ſi Prælatus ſubditi ſecreta in confeſſione noverit, non poteſt uti ea ſcientia, quia non novit, ut homo, ſed ut Deus, c. 2. ubi plura adducemus, de offic. ord. c. omnis, §. caveat, ubi Balbua, de offic. ord. Sed hæc verba recte interpretatur Baſil. Legion. de matr. l. 5. c. 35. ut procedant in ſcientia extra confeſſionem, ſed ſecrete habita, qua uti poteſt Prælatus: quo modo accipitur etiam textus in c. un. de clerico per ſaltum promoto, & alii adducendi in d. c. 2. de off. ord.

COMMENTARIUM.

2 *Concluſio probatur.* EX præſenti textu ſequens communiter deducitur aſſertio: *Religioſus contra prohibitionem Prælati ſui ſacris Ordinibus initiari non debet.* Probant textus in c. nullus, 58. d. c. ſi quis, c. in parochia, cap. monachi vagantes, c. monachi a monaſterio, c. cum pro utili, 16. q. 2. c. quam ſit, §. nullus, 18. q. 2. c. nullus, de temp. ord. l. 6. Clem. ne in agro, in fin. de ſtat. monach. c. ſi religioſus, de elect. l. 6. Conc. Later. ſub Greg. Magno: *Ut invito Abbate ad alia monaſteria ordinanda, aut ad ſacros ordines, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant.* Mogunt. can. 48. Mediol. 5. tit. de initiandis ord. ſacr. D. Benedictus in ſua regula, c. 60. *Si quis Abbas ſibi Presbyterum, aut Diaconum ordinare petierit, de ſuis eligat, qui dignior ſit ſacerdotio fungi: ordinatus autem caveat elationem, aut ſuperbiam.* D. Gregorius l. 7. ep. 18. *Pariter autem cuſtodiendum eſt, ut invito ejuſdem monaſterii Abbate, aut ad Ordinis clericatus officium tolli exinde monachi non debent.* Conc. Illerd. can. 3. plura Anton. Aug. in epit. l. 9. tit. 18. Illuſtrant plures congeſti a Barboſa in præſenti, quibus addendi ſunt Ledeſm. t. 1. ſumm. de ſacr. Ord. c. 8. concl. 10. Peyrinis t. 1. priv. ſui ordin. conſt. 2. Julii II. n. 22. Tambur. de jure Abbat. t. 2. diſp. 7. q. 26. Gazeus in notis ad Caſſianum, lib. 11. collat. c. 14. Hallier. de ſacris elect. pag. 88. & in vindiciis Pariſien. pag. 439. & 521. Rouſſel. l. 1. hiſt. jur. Pontif. c. 5. n. 3. Menardus ad concord. reg. 1015.

3 *Ratio dubitandi.* Sed hæc aſſertio non levem patitur dubitandi rationem ex ſequentibus juris principiis. Primo, nam monachis ac religioſis licet propria auctoritate arctioris, & perfectioris ſtatus cauſſa propriam religionem deſerere, & ad ſtrictiorem, atque perfectiorem ſtatum tranſire, etiam renuente Prælato, ex rationibus traditis ab Inn. III. in c. licet, de reg. Sed ſtatus ſacerdotii perfectior eſt, quam monachatus, c. alia 6. 16. q. 1. ibi: *Alia cauſa eſt monachorum, alia clericorum; mihi ante presbyterum ſedere non licet; illi ſi peccavero, licet me tradere ſatanæ.* Ergo etiam invitis Prælatis monachi poſſunt ſacris ordinibus initiari. Accedit, nam ut Daniel Pariſienſis in ſua apologia, c. 5. §. 1. ait: „Officium, & vocatio presbyterii eſt cum inſtituto & ſtatu monaſtico connaturaliter conjuncta, & munus ſacerdotis cum ſtatu religioſorum ſua natura expoſcit conjungi.“ Igitur a Prælatis regularibus prohiberi non debet id, quod eſt connaturale cum ipſa profeſſione religioſa. Augetur etiam hæc dubitandi ratio ex eo, nam licet religioſus virtute obedientiæ promiſſæ tempore ſuæ profeſſionis teneatur obedire Prælatis propriis, juxta tradita ab Ephteno l. 6. diſquiſit. tr. 2. per tot. Caram. in reg. S. Benedicti, diſp. 50. Tamb. t. 3. de jure Abbat. diſp. 5. per totam, & aliis de jure cœnobitico agentibus; tamen id procedit cum Prælati præcipiunt res rationi & regulæ monaſticæ conſonas, non vero ſi præcipiunt aliquid contra, vel præter regulam. D. Bernard. de præcepto & diſciplina, c. 7. ibi: „Proinde ſi profeſſo ſecundum illam regulam Abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit, quod non ſit ſecundum regulam, aut etiam, quod non ſit ſecundum iſta inſtituta, verbi cauſa Baſilii, Auguſtini, Pachomii; quænam mihi quæſo in hac re neceſſitas imminet obſequendi? Solum quippe id a me exigi poſſe arbitror, quod promiſi. *Expreſſius* c. 8. Prælati juſſio, ſeu prohibitio non prætereat terminos profeſſionis; nec ultra extendi poteſt, nec contrahi; citra nil me Prælatus prohibet horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi. Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate.“ Sed nulla religionis approbatæ regula impedit profeſſos in ea ad ſacros ordines aſcendere, cum eſſet iniqua, utpote, quæ adimeret perfectiorem ſtatum, & impediret gratiam, quæ præſtatur in ſuſceptione ſacramenti Ordinis: igitur Prælatus non poteſt prohibere ſubditis ad ſacros ordines, aſcendere. Accedit tandem, nam non poteſt dari major obedientia ſubditi erga Prælatum, quam filii erga parentes, cum hæc poteſtas proveniat a jure naturali divino, & poſitivo, ut poſt Sanch. Fagundez Tambur. & alios in præceptum 4. Decalogi, docent Donellus l. 1. comment. c. 20. Valent. t. 3. illuſtr. tr. 2. c. 1. Acacies de privilegiis parent. in prolog. Sed patre renuente filius poteſt ſacris ordinibus initiari, ut probat Fagund. ubi ſupr. l. 4. c. 4. n. 2. igitur & renuente Prælato poterit religioſus ad ſacros ordines aſcendere.

4 *Olim monachi laici erant.* Qua dubitandi ratione ita fulcita non obſtante vera eſt ſupra tradita aſſertio. Pro cujus expoſitione præmittendum eſt, non ſolum illos primos monachorum patres, quos Principes propoſiti monaſtici appellat D. Hieronymus ep. 3. ad Paulinum, videlicet Paulum, Antonium, Hilarionem, & Macharium, ſacerdotes non fuiſſe, verum & primis Eccleſiæ ſæculis monaſticam vitam amplectentes expertes fuiſſe clericatus, nec ad gradus eccleſiaſticos aſcendiſſe, c. nemo 2. c. monachus 4. c. alia 6. c. interdicimus 10. c. adjicimus 19. 16. q. 1. plura Ant. Aug. in epit. juris, l. 9. ti. 39. Barb. l. 1. juris eccleſ. c. 43. n. 13. Franciſcus Hall. in vindiciis cenſuræ Pariſ. l. 4. c. 2. per totum, Gibal. de clauſ. reg. diſquiſit. 2. c. 2. §. 3. Benedictus Epheten. in vita S. Benedicti, prolog. 18. §. 3. Cujacius in novel. 5. Juſtin. Vivar. de veteri mon. l. 2. c. 10. n. 18. Quintanad. l. eccleſ. Bignonius ad Marculfum l. 1. c. 2. Michael Rouſſelius l. 1. hiſtor. Pontif. juriſd. c. 5. n. 3. quare monachi medii erant inter Clerum & populum; unde Dionyſius Areopag. ep. 8. ait: „Monachis partes ſunt aſſignatæ, juxta quas etiam miniſtrantibus adſtant, non ad cuſtodiam, ſed ut agnoſcant, tam ſe, quam ordinem ſuum magis populo præ ſacerdotibus propinquare.“ Hinc in pœnis diſtinguebantur, ſiquidem ex quibus delictis clerici degradabantur, monachi ut laici excommunicabantur, can. 2. & 8. Conc. Chalced. Ticienſe anno 887. ibi: *Laici & monachi perpetuo anathemate feriantur*: notavit Bignonius d. l. 1. c. 2. Unde in c. ſubdiacono 5. 93. diſt. dum præſcribitur in Eccleſia ordo hierarchicus, poſt Oſtiarium Abbas recenſetur, quia illis ſæculis omnibus eccleſiaſticis miniſtris inferiores cenſebantur monachi, ut probant Corraſius de ſacerdotio l. 6. c. 6. Anton. Cachus l. 3. inſtit. tit. de monachis, n. 38. Lemaiſtre de inſt. Epiſc. l. 4. c. 5. & 6. I. Fileſacus in c. inter 15. §. 5. de offic. ordin. Laurent. Lantdmet. de veteri cleric. l. 2. c. 1. Jacobus Gothofredus in l. 22. C. Theodoſ. de Epiſcop. & cleric. Baſil. Legion. var. diſp. 1. q. 3. c. 5. Duarenus l. 1. de ſacris Eccl. c. 20. Fr. Joſeph. Siguenza in vita D. Hier. l. 2. diſcur. 2. Sequentibus temporibus, quarto videlicet Eccleſiæ ſæculo, monachi ad ſacerdotium promoveri cœperunt; nam S. Athanaſius quamplures monachos ſanctitate, & doctrina illuſtres ſacris ordinibus ſublatos, Epiſcopos diverſarum Eccleſiarum conſtituit, quorum ipſe Athanaſius ſcribens ad Dracontium monachum, catalogum texit, & refertur in hiſtoria tripartita l. 8. c. 1. & in Concilio Nicæno can. 75. Apud Turrianum expreſſa mentio extat monachorum Sacerdotum, ibi: „Si congregatio fidelium alicujus parochiæ elegerit aliquem præſtantiorem aliis doctrina, prudentia, & fide, ex his, qui miniſtrant altari, aut ex monachis, ideſt ſacerdotibus monaſteriorum.“ Et c. ſanctorum, 70. d. Ex quibus auctoritatibus deducit Ephetenus ubi ſupra, quarto ſæculo Eccleſiæ, jam monachos in

ſacer-

ſacerdotes promoveri. Sed ſi verum amamus, potius in illis juris teſtimoniis de ſacerdotibus agitur, qui monaſteriis præficiebantur, ut monachis ſacramenta adminiſtrarent, quod cum ipſis laborioſum prorſus eſſet, unus ex ipſis monachis presbyter ordinari cœpit, qui aliis Sacramenta miniſtraret, *c. ſic vive 16. c. ſi clericatus 27. 16. q. 1.* Sed monachos jam quarto, & quinto ſæculo Eccleſiæ ſacris initiatos fuiſſe ordinibus, rectius probatur ex Siricio Papa, qui floruit per an. 384. relato *in c. monachos 16. q. 1.* quare D. Th. *opuſc. 15. contra impug. relig. c. 2.* & Gratianus *in 16. q. 1.* poſt canonem *hinc eſt, §. monachus,* ajunt: *Uſque ad tempora Euſebii, Zoſimi, & Siricii monachos clericos non fuiſſe, eccleſiaſticam teſtari hiſtoriam.* Poſt quod decretum Siricii, relatum *in d. c. monachos*, ceperunt monachi ſacris Ordinibus initiari: & Imperator Honorius ſub Pontificatu Anaſtaſii, & Siricii ſucceſſoris in hæc verba ſcripſit *in l. 32. C. Theodoſ. de Epiſcop. & cler. Si quos forte Epiſcopi deeſſe ſibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectius ordinabunt.* Facit D. Auguſtinus *ep. 76. ad Aurelium*, ibi: *Ex his, qui in monaſterio permanent, non niſi probatiores, atque meliores in Clerum aſſumere ſolemus.* In Africa enim an. Chriſti 395. ceperunt monachi miſſam celebrare, ut conſtat ex Poſſidio *in vita S. Auguſtini, ep. 76.* ad Aurelium: „ Ex his, qui in monaſterio permanent, non niſi probatiores, atque meliores in Clerum aſſumere ſolemus. *Et* c. 11. Proficientes doctrina divina ſub Sancto, & cum S. Aug. in monaſterio Deo ſervientes, Eccleſiæ Hipponenſis clerici ordinari cœperunt. “ Synod. Conſtant. generalis *6. act.* 3. licet in ipſa Eccleſia Orientali hæc conſuetudo aliquantulum obliterata eſſet, & tantum in monaſteriis Liturgiam facerent, qui jam ſacris ordinati vitam monaſticam profitebantur. Sic enim colligitur ex Theodoro Balſamone *in c. 3. Nomocanonis Photii*, ubi ait: “ Cum enim mos eſſet, ut qui ex laicis ſacerdotibus monachi facti fuerant, & ad ſacerdotum miniſterium prius adſcripti erant, etiam poſt vitam monaſticam in corporis miniſtrorum catalogo permanerent, & una cum laicis ſacerdotibus permanerent, Sanctiſſimus Dominus noſter Michael longam hac conſuetudinem pro nihilo habuit, & ſtatuit ut ex laicis ſolum ſacerdotibus miniſteria conſtarent, monachis autem in ſuis monaſteriis aſſiderent.

6 Quid in Eccleſia Latina. In Eccleſia autem Occidentali jam anno 490. monachos divina miniſteria tractaſſe probatur ex Pelagio Pontifice I. *ep. 9. ad Epiſc. Luc.* illis verbis: “ Ut ſi quis etiam de religioſo propoſito, & diſciplinis monaſterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, in primis ejus vita præteritis acta temporibus inquiratur. *Conc. Illerd. celebratum an. 510. can. 3.* De monachis id obſervari placuit, quod Synodus Agathenſis noſcitur decreviſſe, hoc tantummodo adjiciendo, ut cum pro Eccleſiæ utilitate aliquos Epiſcopus probaverit in clericatus officio promovendos, cum Abbatis voluntate debeant ordinari. “ B. Greg. *l. 5. ep.* 41. Conc. Tol. 11. *can.* 3. ubi jubetur, ut monachi in Miſſarum ſacrificiis Epiſcopi, in cujus ditione conſiſtunt, ritus & cæremonias obſervent. Syn. Meld. *can.* 10. quam Conc. Tolet. auctoritatem late exponit Vicecomes *de antiq. Miſſæ ritibus, vol. 3. l. 1. c. 7.* & cum paulatim cepiſſent Ordinibus initiari, aliquique ignari, & malevoli hoc admodum reprehenſione dignum judicaſſent, S. Bonifacius Conc. in Italia celebrato edidit conſtitutionem, quam refert Gratianus *in c. ſunt nonnulli 16. q. 4.* quam ex MS. & reconditis codicibus ita emendat Yepes *t. 1. chr. D. Benedicti, an. 610.* „ Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, aſſerentes monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali officio indignos, neque penitentiam, neque chriſtianitatem, ſeu abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officii injunctam gratiam: ſed omnino falluntur, nam ſi ex hac cauſa veteres, æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar B. Greg. monaſtico cultu pollens, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ſolvendi, & ligandi poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque ejuſdem ſanctiſſimi Gregorii diſcipulus Anglorum prædicator egregius, aliique quamplurimi ſanctiſſimi viri pretioſorum monachorum habitu fulgentes, nequaquam a quoquam Pontificali officio ſubarrarentur, neque enim Benedictus monachorum pater præceptor almificus hujus rei aliquo modo fuit interdictor. „ Latius proſequuntur Yepes *ubi ſup.* Chop. *l. 2. monaſt. ti. 3. n. 1.* Hallier. *de ſacris elect. ſect. 1. c. 2. nr. 2. §. 2.* & in vindiciis Par. *f. 493. & 521.* I. Gothofr. *ad. leg. 32.*

7 Proſequitur eadem tractatio. Cum jam monachi non ſolum fratribus ſuis ſacramenta adminiſtrarent, verum etiam laicis, cœperunt non ſolum in monaſteriis, verum etiam in parochiis ſæcularibus inſtitui, & ordinari, ut etiam ſæcularibus ſacramenta adminiſtrarent: unde ad titulum Eccleſiæ, cui præficiebantur, tranſibant, & monaſteria propria deſerebant, ut expreſſe probatur *ex ep. 61. D. Hier.* ubi de ordinatione Paulini agens, ita ſcribit: „ Nolle ſibi presbyterum tribui, ut monachus tolleretur. *Expreſſius* in ep. ad Ruſticum monachum, *ibi*: Cum ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex civitatis in Clerum elegerit, age quæ clerici ſunt, & inter clericos ſectare meliores. *Clarius* ex c. nemo, c. ne pro qualibet, 16. q. 1. *ex D. Greg.* l. 7. ep. 18. Quiſquis autem ex prædicto monaſterio ad eccleſiaſticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam poteſtatem, nec licentiam habeat manendi. “ Ex aliis Patrum teſtimoniis late probat Balſ. *in can. 4. Synod. Conſt.* Hallier. *in vindiciis, f. 485.* Nec contrarium ſuadet textus *in cap. de monachis 3. 16. q. 1.* ubi aſſeritur, monachos cum ad clericatus gradus pervenerint, non debere a priori propoſito diſcedere, quia ut Gloſſa, Archid. & Turriſcr. ibi docent, textus ille loquitur de his, quæ ſunt ſubſtantialia monachatus, ut vota continentiæ, & paupertatis: licet enim eo tempore monachi ſacris initiati extra monaſteria degerent, tamen propoſitum continentiæ, & paupertatis conſervare tenebantur, ut dicemus *in c. 1. de teſtam.*

8 Ratio decidendi. Ex his apparet, quare in hoc textus, & ſupra citatis ſtatuatur, ne monachi contra voluntatem ſui Prælati ſacris ordinibus initientur: cum enim per ordinationem a regulari abſtinentia ipſo jure abſolverentur, nec amplius in monaſterio degerent, non ſine Abbatis licentia ordinari poterant, ut ab ejus poteſtate ſubducerentur. Accedit, nam plerumque dæmon decipiebat monachos hac illuſione, ut Ordines ambirent: unde ſanctus Pachomius monachorum magnus inſtitutor ajebat, eſſe admodum bonum, & valde utile monachis non quærere honorem, vel principatum, vel gloriam, & maxime in cœnobio; addebatque principatus, aut ambitionis clericatus cognitionem, ſi inciderit in monachos, nec cito extinguatur, facile corrumpere univerſum laborem exercitationis, referente Metaphraſte in ejus vita, *c. 23.* Et S. Baſilius monaſticæ converſationis regulam præſcribens, *c. 23.* ait: *Nullam capitaliorem peſtem monaſteriis irrepere poſſe, quam ſi monachos clericatus ambitio invadat.* Et S. Cæſarius ex monacho Lirinenſi factus Archiepiſcopus Arelat. inter monachi virtutes neceſſariam hanc enumerat, quod ambitum honoris, vel deſiderium clericatus veræ humilitatis amore repudiavit, ac reſpuit: refertur *t. 2. Bibliot.* Expreſſius Moyſes Abbas apud Caſſianum *coll. 1. cap.* 20. ait: „ Cum dæmon deſiderare ſanctum Clericatus officium, ſub prætextu ædificationis multorum, & amore lucri ſpiritualis inſtigat, per quod nos ab humilitate propoſiti hujus, ac diſtrictione divellit, quæ omnia cum ſint noſtræ ſaluti, profeſſionique contraria, tamen velamine quodam miſericordiæ, ac religionis obtecta, facile imperitos, incautoſque decipiunt. “ Recte ergo in hoc textu, & aliis ſupra citatis ſtatutum eſt, ne ambientibus monachis ſacerdotium illis concedatur, niſi Prælatus, qui eorum conſcientiam moderatur, aſſentiat. Accedit ratio a noſtro Pontifice allata, quia videlicet ipſe Prælatus novit aliquod crimen occultum, quod impediat ipſum ordinari, aut cum quo non liceat ipſum ſacerdotio mancipari, facilius enim ipſi Prælati agnoſcunt impedimenta ſubditorum: unde hodie ipſi Prælati regulares litteras dimiſſorias concedunt monachis, ut ad ordines admittantur: late docent Tamb. *d. quæſit. 25.* Hallier. *de ſacris*, ubi ſupra, *c. 3.*

9 Diſſolvitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio, qua dicebamus, licere religioſis, invitis ſuis Prælatis, ad vitam ſtrictiorem tranſire; nam id procedit, cum arctior, & ſtrictior modus vivendi adeſt in religione, ad quam transfertur, ac ſervatur in religione, quam deſerit; non autem cauſa hujus permiſſionis eſt perfectior ſtatus, ut docent Azor. *t. 1. moral. l. 12. c. 14. q. 2.* Sanch. *in decal. l. 7. c. 7.* Suar. *t. 3. de relig. c. 8. per tot.* Unde cum per ſuſceptionem ſectorum ordinum arctiorem, ſeu ſtrictiorem monachus non aſſequatur vitam, licet in perfectiorem ſtatum tranſeat; ideo irrequiſito, & renuente ſuperiore non licet ad ſacros ordines aſcendere. Nec argumentum deductum ex apologia Danielis aliquid facit, eam enim docte & aperte refellit Hallier. *in vindiciis, pag. 401. §. 3.* quomodo enim monachis poterat eſſe connaturale ſacerdotium, cum, ut ſupra probavimus, per tot annos a ſacerdotio repellerentur, ut late conſiderat Hall. *ubi proxime*. Nec ſecundum argumentum adverſatur; poteſt enim Prælatus imperare religioſis, non ſolum, quæ illi expreſſe profeſſi fuerunt, verum & illa, quæ tendunt in ordine ad regulam, vel in pœnam alicujus delicti præcipiuntur; & tunc religioſi tenentur Prælatis obedire, ut pluribus relatis tradit Tamb. *t. 3. de jure Abbat. diſp. 4. q. 3. n. 7.* Unde cum Prælatus ratione delicti occulti prohibet ſubditis, ne ſacris initientur ordinibus, præcipit in pœnam delicti perpetrati, & ordinate ad regulæ obſervantiam; cum ea non facile ſervaretur, ſi monachi ſacerdotio elati tantum Presbyterii principatum ambirent, ut ſupra ex D. Baſilio, & Cæſario notavi. Inde religioſi ſacerdotium ambientes tenentur ſuis obedire Prælatis, qui illis ne initientur ordinibus, inhibent. Nec ultimum argumentum obſtat; diverſa enim ratio prohibitionis eſt in monacho reſpectu Prælati, ac in filio reſpectu patris: cum enim in his, quæ ad ſtatum ſpectant non attendatur patria poteſtas, ut omnes ſupra laudati docent, inde repugnante etiam patre filius poteſt ſacris ordinibus initiari: accedit, nam rationes prohibitionis, ne monachus renuente Prælato ſacris initietur, non procedunt in filiofamilias; quare etiam Patre renuente poteſt ad ſacros ordines aſcendere.

10 Exponitur ca. 4. Concilii Conſtant. Primo ſuperiori aſſertioni adverſatur Concilium Conſtant. celebratum in templo SS. Apoſtolorum, *can. 4.* ubi ita cavetur: „ Sed ſi Epiſcopus quidem de nonnullorum monachorum pietate, & vitæ probitate teſtimonium ferens, in aliud monaſterium, ad ejus conſtitutionem eos transferre voluerit, vel in domum ſæcularem, ad eorum, qui inhabitant ſalutem, traducere cenſuerit, vel in quovis alio loco præponendos putarit, hoc neque iis, qui ſuſcipiunt, neque ipſis monachis fraudi erit. “ Ex quibus verbis, & *ex c. in Parochia, 16. q. 1.* expreſſe evincitur licere Epiſcopis propria voluntate, ſine Prælatorum aſſenſu monachos ordinare, atque eos præficere in parochialibus Eccleſiis pro ſalute populi, & utilitate parochianorum: igitur non recte aſſerimus, in ordinatione monachi Prælati licentiam deſiderari. Hujus textus interpretatio altius repetenda eſt ex veteri Eccleſiæ diſciplina. Sciendum enim eſt, quod poſtquam monachi clero adſcribi cœperunt, & illis permiſſum fuit ſacris initiari, ſola Epiſcoporum voluntate abſque Superiorum licentia ad gradus clericatus aſſumptos fuiſſe: dum enim Athanaſius *in ep. ad Dracontium*, refert tot monachos a ſe ordinatos fuiſſe, ullam conſenſus Prælati mentionem non facit: & D. Hieronymus dum de ordinatione Ruſtici *in ep. 4. ad ipſum* agit, tantum Epiſcopi poſtulat voluntatem, ibi: *Si Populus vel Pontifex civitatis in Clerum elegerit.* Quibus, & aliis auctoritatibus hanc firmat ſententiam Hall. *de ſacris elect. d. §. 2. pag.* 88. ſed cum ex hac facultate ordinandi monachos, & per conſequens ſubtrahendi eos a regulari profeſſione, monaſteriis magna injuria inferri videretur, conqueri cœperunt, tam Prælati, quam ipſi monachi: illi quidem poteſtatem ſuam violari, ſubditoſque a ſe eripi; iſti vero invitos a religione extrahi, & in quiete ſua turbari. Unde primo in Conc. Arel. celebrato an. 455. auditis his querimoniis monachorum inſulæ Lirinenſis, ſtatutum fuit, ne Epiſcopi ex integra eorum familia monachum ordinarent, niſi Abbate petente. Secutum fuit Conc. Agathenſe ſub Symmacho Papa celebratum, ubi quod ſpecialiter Lirinenſi monaſterio indultum fuerat, ad omnia Narbonenſis provinciæ monaſteria protractum eſt, ut patet ex ejus canone relato *in c. monachi 33. 16. q. 1.* mox etiam Conc. Illerd. in provincia Tarraconenſi celebratum, ſtatuta Arelat. & Agat. approbavit, *can. 3.* in hæc verba: “ De monachis vero id obſervare placuit, quod Arel. vel Agath. noſcitur decreviſſe, hoc tantummodo adjiciendo, ut pro Eccleſiæ utilitate, quos Epiſcopus probaverit, in clericatus officio cum Abbatis licentia debeant ordinari; ea vero, quæ in jure monaſterii de facultatibus offeruntur, nulla diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur: ſi autem ex laicis quiſquam a ſe factam Baſilicam conſecrari deſiderat, nequaquam ſub monaſterii ſpecie, ubi congregatio non colligitur, a diœceſana lege audeat ſegregare. “ Quæ verba licet truncata, reperiuntur apud Gratianum *in c. pro utilit. c. ſi ex laicis, 16. q. 1.* integra autem referunt Loayſa *in Conciliis Hiſpaniæ*, Yepes *t. 1. chron. D. Benedicti, an. 546.* qui textus difficilis eſt in ea parte, in qua Patres affirmant, Conc. Agath. & Arel. illud adjicere, videlicet, ut ſine Abbatis voluntate monachus ordinari non poſſit; quod jam in prædictis Conciliis ſtatutum reperiebatur, Hallier. *ubi proxime, pag. 89.* huic difficultati ſatisfacere intendit aſſerendo Patres Conc. Illerd. aſſerere, ſe adjicere Conc. Agath. tantum ſtrictiorem, aut clariorem prohibitionem: ſed verius credo illa verba, *Tantummodo adjiciendum*, eſſe referenda non ad primam textus partem, ubi ſtatuta Conc. Agath. & Arelat. confirmantur; ſed ad ſecundam partem, quæ incipit ab illis verbis: *Ab ea vero*, &c. quæ non reperiuntur apud Gratianum, nec in dictis Conciliis. Igitur verba textus *in d. can. 4. Concilii Conſt. & in d. c. in Parochia*, referenda ſunt ad prima illa Eccleſiæ tempora, cum Epiſcopi inconſultis Prælatis monachos & ordinare, & a monaſteriis ſubtrahere valebant.

11 Exponitur D. Greg. Secundo adverſatur traditæ aſſertioni Gregorius Magnus *l. 10. ep. 10.* ubi aſſerit, privilegium ſpeciale ſe concedere Xenodochio Auguſtodunenſi, in hæc verba: *Epiſcopum vero tollendi de eodem loco monachum ad eccleſiaſticum ordinem promovendum, vel pro aliqua quacumque cauſa, ſine conſenſu Abbatis, atque Presbyteri, habere licentiam prohibemus.* Ex quo textu ſic argumentor. Fruſtra precibus impetratur, quod jure communi conceditur, *l. un. C. de theſaur. l. 10.* ſed privilegio ſpeciali conceditur monaſterio Auguſt. ne ſine Prælati licentia monachi ad ſacros ordines admittantur: igitur jure communi citra voluntatem Prælati monachi ſacris initiari poſſunt ordinibus. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, adhuc prædictis Conciliis Agath. & Illerd. ſatis conſultum, proſpectumque non fuiſſe monachis, ut ab Epiſcopis, invitis Prælatis, Ordinis gratia non ſubtraherentur: quare monaſteria ſpecialia privilegia, tam a ſummo Pontifice, quam Epiſcopis impetrarunt, ut conſtat ex quorumdam formulis relatis a Marculfo *l. 1. formul. c. 1.* & ibi Bignonio, & ex privilegio libertati conceſſo monaſterio Corvienſi a Berteſrido Epiſcopo Ambian. quod refertur *t. 1. Conc. Galliæ*, ibi: „ Similiter & reliquos gradus clericorum, minores, ac majores, quos Abbas jam dicti monaſterii elegerit, ſive intra, ſive extra monaſterium, ſine aliqua præmii acceptione conſecrare. “ Cum enim adhuc in hac parte libertas monachorum ſatis ſtatuta non eſſet, ideo neceſſarium fuit in monaſterio Auguſtodunenſi prædictum Gregorii privilegium: ſed poſtquam Conc. Lat. ſub eodem Gregorio celebrato cautum fuit, ut invito Abbate ad alia monaſteria ordinanda, aut ad ordines ſacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant, non licet Epiſcopis ullos monachos, etiam privilegium non habentes, invitis ſuis Prælatis ordinare, ut docet Hallier. *de ſacris election. ubi proxime, fol. 89.*

C A P U T VI.

a Anicetus Papa *Epiſcopis per Galliam conſtitutis.*

SI Archiepiſcopus obierit, & alius ordinandus Archiepiſcopus fuerit, omnes ejuſdem provinciæ Epiſcopi ad Sedem *b* Metropolitanam veniant, ut ab omnibus ipſe *c* eligatur, & ordinetur: oportet autem, ut ipſe, qui illis omnibus præeſſe debet, ab omnibus illis eligatur, & ordinetur. Reliqui vero comprovinciales Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, ceteris conſentientibus, a tribus juſſu Archiepiſcopi conſecrari poſſunt Epiſcopis; ſed melius eſt, ſi ipſe cum omnibus eum, qui dignus eſt, elegerit, & cuncti pariter eum conſecraverint Pontificem. *Et infra*: Illud autem, quod de Archiepiſcopi conſecratione, & ordinatione prædictum eſt, atque præceptum, videlicet, ut omnes ſuffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet.

N O T Æ.

1 a ANicetus.) In ſexta Decretalium collectione, & prima, *ſub hoc tit. de elect. c. 9.* legitur, *Lucius III.* ſed mendoſe: auctor enim hujus textus eſt Anicetus Pontifex, qui Eccleſiam rexit ex an. 177. uſque ad an. 185. ut referunt Baronius, Coriolanus, & Binius, aliique ſcriptores Eccleaſiſtici: ipſe enim ex traditione Apoſtolorum & doctrina Anacleti Pontificis *ep. 2.* de qua Turrianus *l. 5. pro ep. Pont. c. 24. f. 583.* ſtatuit Archiepiſcopum ab omnibus ſuffraganeis eſſe conſecrandum, Epiſcop. vero a tribus, ut conſtat ex ejus epiſtola miſſa ad Epiſcopos Galliæ, quæ extat *t. 1. Conc.* & ex ea tranſcripſerunt noſtrum textum Decretiſtæ, Burchardus *l. 1. Decreti, c. 8.* Ivo Carn. *par. 5. Decreti, c. 139.* Gratianus *in c. Comprovinciales 4. 64. d.* & *in c. 11. 66. diſt.*

2 b *Metropolitanam.*) Metropolis enim vocatur, quaſi mater provinciæ, ut ajunt Imperatores *in l. unica, C. Theod. de Metrop. Beryti*; unde miror D. Iſidorum *l. 7. originum, c. 12.* relatum a Gratiano *in c. cleros, 21. d.* Rabannum Maurum *de inſtit. cleric. c. 5.* affirmaſſe, Metropolitanos a menſura civitatis dictos, cum Metropolis mater provinciæ appelletur *in l. 4. §. ingreſſus*, & *in l. 7. ff. de officio Proconſ.* & colligitur ex epiſt. 2. Anacleti Papæ, *c. 2.* in illis verbis: “ Et in capite provinciarum, ubi dudum Primates legis ſæculi erant. *Et ibi*: Reliquæ vero Metropolitanæ civitates, quæ minores judices habebant, habere Metropolitanos ſuos, qui prædictis juſte obedirent Primatibus, ſicut in legibus ſæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum nomine fruerentur. “ Notarunt Henricus Kalteiſen in oratione habita in Conc. Baſileenſi *de punit. peccator.* Duarenus *l. 1. de ſacris Eccl. c. 9.* Morinus *l. 1. exercit. c. 1.* quod notandum eſt ad intellectum Nicephori Calliſti *c. 2.*

3 c *Eligatur.*) Non ſolum enim in conſecratione Archiepiſcopi omnes ſuffraganei; & in ordinatione Epiſcopi tres, verum & in electione cum Clero, & populo omnium conſenſus deſiderabatur, Conc. Nicænum *can. 4.* Synodus Carthag. *can. 3.* Syneſius *ep. 67.* Cyprianus *ep. 68.* ibi: *Epiſcopi ejuſdem provinciæ, proximi quique conveniant, & Epiſcopus eligatur.* P. Marcha *l. 6. concord. c. 4. & 5.* Sed cum verbum χειροτονία, quo Patres, & Concilia Eccleſiæ Orientalis utuntur, ſignificet electionem, & ordinationem, ut ex Græcis Scriptoribus docent Cironius *ad titul. de elect.* Hallier. *de ſacris elect. in principio*; ideo in verſionibus Latine factis facile confunditur electio cum ordinatione.

C A P U T VII.

Ex Concilio a Arelatenſi.

NEC Epiſcopus ſine Metropolitani permiſſu, nec Epiſcopus Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis comprovincialibus præſumat Epiſcopum ordinare, ita ut alii Epiſcopi provinciales epiſtolis admoneantur, ut ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificent. Quod ſi inter partes aliqua fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electionem conſentiat.

N OT Æ.

1 Arelatum ubi. a ARelatenſi.) Arelatum; vulgo *Arles*, civitas eſt Galliæ Narbonenſis, ſuper Rodanum flumen, cujus mentio fit *in l. codicillis 34. ff. de uſufruct. legato*: Romagallula etiam dicta, ideſt Roma parva, ut exponunt Scaliger *in lect. Auſon. c. 24. & 25.* In ea Conſtantinus tyrannus fixit ſedem Imperii ſui, eamque deinceps Conſtantinam vocari juſſit, & ut in ea ſeptem provinciarum Galliæ agerentur conventus. Plura de ejus amplitudine Savarus *ad Sidonium, l. 1. ep. 11.* & *lib. 3. epiſt. 1.* Briſſonius *de V. S. verbo Arelate*, Aloix *in notis ad vitam S. Dionyſii, c. 16.* Juretus *in notis ad Symmacum, l. 9. ep. 16.* Bucerus *in Belgico-Rom. l. 8. c. 9.* & nos *in c. 16. de officio delegati*. Jam a primis Eccleſiæ ſæculis Archiepiſcopali

Cathe-

BIBLIOTECA CENTRALĂ